




# Lamberti Hortensii ... Satyrae VIII

<https://hdl.handle.net/1874/260051>



Aevum recens  
Scripta varii arg.

Nº. 95

Kat. VI, p. 11  
no 1

828

Hs.  
6 H 1

Handwritten text in a cursive script, likely a list or account, written on aged, yellowed paper. The text is oriented vertically and appears to be a list of items or entries, possibly related to a ledger or inventory. The script is dense and difficult to decipher due to its cursive nature and the condition of the paper.






828 (Var. 95.) Charta. 8°. 125 ff. Saec. XVI.


**Lambertus Hortensius, Poemata inedita.**


Fol. 1a. Notae quaedam Pt. Burmanni Secundi. Fol. 1b. Lamb. Hortensii Satyrarum lib. 2. Satyra 5 ad Henr. Sylvium Amsterodamium anno 1555. Fol. 3a. Scripsi has sequentes usque ad Chorographiam Goulandiae a° 1563 Nerdae ad scholam reversus. Fol. 84b. Chorographia Goulandiae.... 1564 Traiecti. Fol. 92b. Quae sequuntur descripta sunt ex autographo Hortensii Nerda post obitum ejusdem allato a Wornikeldo. Ego autem ab Henrico Sylvio utendum accepi a° 1582. — Omnia scripta manu Henr. Antonidae vander Linden Nerdeni postea theol. prof. Franequerae.

In eodem vol. Lamb. Hortensii Satyrae VIII impr. Ultrajecti 1551; Satyrarum liber II. Ibid. 1552; Libri II Satyra II. Ibid. 1554.


„Emi Amstelaedami in auctione Joh. de Wit Judicis et Senat. quondam Amstelaed. Pt. Burmannus Fr. fil. Fr. nep. 1738.”






































in fine huius libri habentur adscriptae  
aliquot Hortensii ineditae Satyrae  
et poemata, manu Henrici Antonidæ  
vander Linden, qui ea haussisse se ex  
autographo Hortensii, quod post obitum eius  
Narda adulterat Wormipolus, ipse autem  
ab Henrico Sylvio mendacium acceperat,  
et Enchiridion, ubi Ecclesiae praesentat, descripsit  
mensis Junii an. 1502. testatur in fine.

alia Hortensii anecdotata subuisse <sup>Hermannum</sup> ~~Henricum~~ Antonidæ  
vander Linden, (foris Henrici Antonidæ  
filium) patet ex vita Hortensii, quæ legitur  
in fine Historiar. Ultraject. Hortensii. post Bekam  
et Hedam Buchelij pag. 3 et 7. ubi profertur  
Hortensii narratio de inlicitum Nardæ,  
ex Hermannus<sup>us</sup> illius Antonidæ vander Linden  
viri Magnifici, ut vocatur, Cimelius Nardæ  
de prompta.

LAMBER  
TI HORTENSII MONT

FORTII SATYRAE. VIII. AD

nobilem uirum D. Theodoricum Zulenĕ,

D. à Zeuender &c. equis  
tem auratum.

Eiusdem epithalamiorum liber.



V L T R A I E C T I .

Harmannus Borculous excudebat, anno

1 6 5 2.



SOLE AGENTS

THE HORTON MOUNT

FORT HATFIELD VILLAGE

London Street D. Theobalds Square

P. & N. Smith & Co. London

and

Edinburgh and Glasgow



THE HORTON MOUNT

Edinburgh and Glasgow

1840

# LAMBERTVS HORTEN.

MONTF. NOBILI VIRO, D. THEO-

dorico à Zulen &c. equiti aurato, felicititer agere.

**A**ccipe nobilium procerū ter maxime primas  
Munus, at eoīs quod non splendere lapillis,  
Nec libycis nitidum rubro de litte re gēmis  
Conspicias, sed Cadmeis nigrū ora puellis,  
Sepia, quas Pharia perfudit & atra papyro.  
Atq; aliam in faciem mutatum hic Protea cernes,  
Mordacē Cynicū satyra, qui dentibus, asper  
Ad restim ualeat uexatum agitare Lycamben.  
Maius opus fateor, quod sim tibi non ita nuper  
Pollicitus, uerū id quoniam madet, aptius olim ut  
Exeat in lucem: hęc nunc qualiacunq; capeſſe,  
Diuinis quando tu delectare poētis:  
Salsius ut quodq; & magis acre poema, palato  
Hoc sapidū magis eſſe tuo solet, atq; salubre.  
Non quamuis Lycij spirāt sacraria Phœbi,  
Non & fatidicā laurū splendore remordent,  
Est quod uel Siculūm, quod iudiciūq; Tarenti  
Molle Phalantēi, neq; formidabit acumen  
Consentinorū. nostrum Theodore poēma  
Quale tamen cunq; est, sacrata in Appollinis arce  
Conde tui, mereātq; locum, & subsellia claudat  
Infima, quo fugiat culos saltem atq; cuculos.



# LAMBERTI HORTEN

SII MONTFORTII

1543.

Satyra. prima.

**S**i priscos trutina mores pensaueris aqua,  
 Temporis & nostri equaris examine fastum,  
 Dixeris inuersum conuexo pondere mundum,  
 Et rapidos secum sustollere flumina cursus.  
 An uitæ ratio est eadem, quæ pura deorum  
 Temporibus: cum Saturno regnante uigeret  
 Alta quies, fuerat: cum pauper adhuc deus Hammō  
 incultam gemmis atq; auro adstaret ad aram  
 Cornibus in Libyca tortis tellure frequentem?  
 Tum nec aratra solum proscindere uomere sueta  
 Vexabant duro, cum gigneret omnia tellus  
 Fœcundo non tacta sinu, glandemq; tonantis  
 Mortales legerent: priscis qui uictus opimus  
 Contentis solum rabiem depellere siccam  
 Gutturis & stomachi latrantis, erantq; beati,  
 Vnica cura quibus fuit, atq; extrema cupido,  
 Utq; animus rectus foret, & mens nescia fraudis,  
 Vlliùs prorsus, sed per pete fœdere iunctos  
 Deuinciret amor, nexu & concordia abeno.  
 Sæpe parens gnati, seruiq; herus aspera obibat  
 Munera, nec magni spernebant leta monarchæ  
 Dona sacrae Cereris, neq; frugibus addere curas.  
 Hortorū, & pecoris studium queis dulce placebat,

Atq;

Atq; corymbiferi patris uineta Lyæi.  
Tum matutina nondum arbore uellera Seres  
Abuerant legere, aut è rubro littore gemmas.  
Nondum etiam tinctas tum norant murice uestes.  
Nec pura in uarios migrarat lana colores,  
Imbuerat nondum Tyrius sua uellera succo.  
Vlla nec ambitio uanos ardebat honores.  
Si quis erat, mercatorem quem forte dedisset  
Natura, aut melior deus admouisset aratro  
Agricolam, aut studijs si quem addixisset honestis,  
Sutorem, aut si quem fullonem, humilem uel subulcum.  
Finxisset uel luto figulum meliore Prometheus,  
Sorte sua uixit contentus, & exul ab oris  
Omnibus atra Eris, inuidia, & contentio sacra  
Ore cruenta furens ima tellure sedebat.  
Aurea tunc ætas: populus sine lege colebat  
Sponte sua, liber sacratq; iura fidemq;.  
Atq; ea fœlici currebant secula fuso,  
Donec paulatim tandem succederet ætas  
Deterior, paulo peior sempèrque priori.  
Si nunc impositos montes, & ad aurea cœli  
sidera congestos Oetam & Pernaſſon Olympo  
Verticibus geminis, unde omnis terra uideri  
Poſſet, nauata ferox umbrarum portitor ater  
Hiſſida membra Charon ſcandas, & nube remota  
Luminibus craſſis, fieri contra omnia cernas.



Exclames, ô terra, freta ô Neptunia, cœlum  
Omnipatens, quæ cœcū hominū genus ambitio? & quæ  
Pestis dira tenet fastus luxúsq; supini?  
Inflatus buccas indoctus simius amplas  
Propter opes, mediū per iter, cui uestis ad imos  
Laxa fluit talos Milesta, obambulat, huic si  
Deserat eupar ypho in terram prostratus honorem  
Præteriens, non dignatur magis ille iacentem  
Respicere, ac si esset uili prognatus ouili:  
Solus homo ob tinctam Tyrio quasi murice laeam  
Viueret, atq; essent exosa piacula præ se  
Mortales reliqui, saperètq; ac si omnia solus.  
Simia cum ingenium non mutet, symbola quamuis  
Aurea gestet, inauratis & cingula bullis.  
Audaces ruditas parit, atq; opulentia fastum.

Fontibus Aonidū uates sacer ecce lacerna  
In trita horridulus magno præ frigore saltat,  
Esurit idem algètq; ut non sestertius unus  
Tinniat in loculis, quo panis ematur olusq;.  
Cantet olorinum modulato gutture carmen,  
Cum spirant Zephyri, laudatur buccina: uerum  
Vestitus quando malè subsilit, ora retrorsum  
Simius auertit tragicus, neq; nobile nummo  
Dignatur nomen uili exornare poëta.  
Mendicato asem: inq; humeris ostende tabellis  
Naufragium expressum pictis, extundere posse

Ten<sup>er</sup> reris lachrymas? aut affem<sup>us</sup> immobilis ora  
Haud secus atq; silex ad uerba precesq; miselli  
Stabit, & ad raucas non uertet corda querelas.  
Sterne pauimento uestes pictosq; tapetas,  
Atq; rosis consperge solū, fertisq; corona  
Atria, non bellum hoc est quid tamen addere possit  
Amplius, addat adulator, sed & omnia soli  
Quæ fas est homini donare, ea turpiter uni  
Adjiciat, diuū magnorum & præstet honores.  
Quinetiam degat uiuacis Nestoris annos  
Nectaream nactus uitam, nihil ista tumentem  
Emollire queunt animum, ut modulo ac pede dextro  
Metiri addiscat se, ut non sua queritet extrā.  
Quas auias tumido fundit pulmone superba  
Fœmina diuitijs: quando imperiosa marito  
Exprobrat, quantum usuræ dotisq; quotannis  
Conferat: utq; sua est collata pecunia multo  
Grandior: hinc illæ lachrymæ, cantate cuculus  
Gallina taceat quare. iam dedecus ecquod  
Maius in humanis rebus grauiore prandum  
Supplicio dicas: quod nulli asurgere quamuis  
Religioso homini, dignetur, pluris item quem  
Non faciat, culicem quàm argutum elephantus in oris  
Indicus eois. cum lauta monilia gemmis  
A collo lucent, & nudo pectore fallax  
Incedit, comptasq; comas discriminat auro,



Aut manicis scissis cum ebullit purpura, porro  
Vbera ubi ostentat, nemo distinguat honestã  
Aturpi scorto, Lausellam aut Chryside fœdas,  
Putidulã aut Thaidẽ, Carmenta. sumptus inanis  
Quintus: ubi à tergo uestis sinuosa salacem &  
Fluxa trahit caudam, per terram udãsq; lacuvas.  
Et pueri Tyrios ante alpha & beta colores  
Distinguunt, caniq; senes, quos candida solos  
Mundicies sine sorde tamen squallent: deceret  
Quis sacros inter, populum intonsumq; profanũ  
Quo uertas te cumq; hodie internoscat: auorum  
Temporibus uestem subductam pellibus olim  
Laneam, honorificum censebaturq; decorum  
Gestare, unde etiam, ceu numina relligiosẽ  
Iure colebantur terrestria. plebsq; duabus  
Ex ulnis tunicam braccamq; parabat ab imis  
Calcibus ad capitis mediq; paristhmia colli.  
Obuius hic xerxes fiat tibi, uel procerum quis  
Nobilium, da è plebe aliquem, non molle Tarentum,  
Non quamuis luxu Miletus diffluat, inter  
Hos ullum atq; illos ponat discrimen. at olim  
Regibus & summis auro gemmisq; monarchis  
Conuenit solis uti, quibus antè tamen non  
Cognita, cymatilis fuerat paulo, amplius addam,  
Principio crasso contentis bardocuculo,  
Aut leuis tenui regalia sceptrã tueri.

Pellio nunc quibus, sutor, coriarius ater  
Cymatili fulget, quæ fœmina carminat, auro &  
Ostro splendescit molli. sed maior in agris  
Apparet multo luxus, dum rusticus audax  
Non Curios, non Fabricios, euincere certat,  
Non Cincinnatos, uerum urbis diuitis amplas  
Et letas affectat opes, diuesq; uideri.  
Hinc fit, cur animi concordēs rariſſime inter  
Mortales cœant, tenuisq; iniuria bellum  
Concitet, & discors studium, ac ſententiã discors  
Omne hominũ genus in terris contendere cogat.  
Fercula nobilium quanto condita paratu  
Quàm uariè inſtructæ menſæ? cum onerantur ab ouis  
Vſq; ad mala ſimul centenis miſſibus, adde  
Nomina multa gulæ ſtomachum irritantia, fructus  
Eois ad nos, quos attulit acer ab oris  
Mercator, dicas orco rediſſe profundo  
Æſopum, atq; adeo ex unius puluere mille  
Structores natos. nec Apicius ingenioſus  
Quantumuis fuit, & mirus condire natantes  
In putri cepas piſcesq; halecc, paratus  
Prodigus inuenit tantos, menſæ ſue ſecundas.  
Pontificum dubias celebrarunt tempora cœnas  
Priſca, Syracuſias & menſas, & Sybaritũm  
Luxuriem, primo quod quis deprehendere morſu  
Calleret, quo capta uenirent oſtreæ ponto.



Littore quo Flute, uel quo spinosus echinus.  
 Num ponteis inter geminos, an in equore uasto.  
 An minor ingluuies hac tempestate perurit  
 Non sine cordatùm, mortalia pectora, risu?  
 Limoso hæc muræna lacu, ista in littore falso  
 Prænsa, uuat grato, tristatue sapore palatum.  
 Cætera quis numeret luxus monstrosa pudendi  
 Et genera & formas queis nulla repagula leges  
 Arcti modum uè queant satis iniicere, Orchia non lex,  
 Non lex Fannia, non Licini, non Didia, non quam  
 Centusum dixeret patres? quin restis abena  
 Ingluuiem astringat nunquam, bellaria mille  
 Quam non exaturent, non mensæ illatus opimæ  
 Troianus porcus, quantumuis milite fetus.

1544.

SATYRA .II.

**P**Lurima, que sauo sunt castiganda flagello,  
 Pectora corrumpunt stulta uitiosa iuuenta  
 Quæq; à fruge trahunt rudibus præcepta sub annis  
 Hos & qui patruos sapiunt ætatis adulte.  
 Hæc ego cum uideam, mentem subit, unde tenellis  
 Venerit ingenijs ruditas ea crassa, uel unde  
 Barbaries morum insenuit pinguisq; Minerua.  
 Quondam docta patrum sapientia, cura, labosq;  
 Huc tendebat, uti mox formaretur ab annis  
 Ipse puer teneris, simul imperfecta sonaret

Et uerba

Et uerba & uoces, nam doctum corda parentum  
Vnica curabant, exultos reddere natos,  
Et patrum similes, huc Quintiliane labores  
Spectare tui, quantum Cornelia mater  
Contulit eloquij doctissima foemina Gracchis?  
Hoc fixum stabat, scopus hic extremus eratq;  
Naturam formare rudem atq; absolueret cunctis  
Virtutum numeris, (quæ summa bona) iudere mores  
Ciuiles, qualem Peliden fingere Phœnix  
Iussus Amyntorides, gerere & bene dicere factum.  
Ingenium ueluti esse lutum ceramq; tenacem  
Credere par, nam si quid formæ impresseris hæret.  
Iam si nemo domi morum formator adesset,  
Plagoso Orbilio ferula scuticâq; tremendo  
Tradebant, aut Cornuto, doctone Catoni.  
Non tantum genuisse satis, nisi sedulo eossem.  
Moribus imbuerent puris studiisq; putabant.  
Quæcunq; ingenijs rudis imperfecta reliquit  
Humanis natura parens, ea culta uirorum  
Doctorum absoluunt studia immensiq; labores.  
Hæc ueterum tantum distant exempla uirorum  
A nostris, quantum pondus telluris ab alto  
Subsedit cælo, uel abest à littore curuo.  
Hinc illinc pelagi undiuagi conuexus horizon.  
Det pater indulgens gnatum, ut quinquatribus olim  
Formandum, aut mater, quam uersat stulta libido

Stultus



Stultus amor gnati, stupido cui in pectore leuo  
Nil salit, atq; in quo perdas cetera operamq;  
Ingratis: clamatur, io, non ulla laboris  
Cura liquet, didicitq; nihil, non ergo minerual  
Debetur, tanta est quarundam inscitia matrum,  
Quarum ueratri perpurges pectora succo.  
Hoc stupor ingenijs pacto accersitur ab illis,  
Semina uirtutum est, quarum instillare labore.  
Lubrica corrumpunt mores exempla tenellos  
Integros faciles perdiscere sœda nefasq;  
Verba sonant medio meretricia fornice nata,  
Qualia lenonum pueri, mollèsque cinædi  
Fundere turpe putent. cernunt que dicere non fas,  
Que natura tegi uoluit, iussitq; recondi.  
Hinc fit cur stupeant, alienenturq; pusilla  
Pectora ab Aonidum studijs, atque Hippocrene.  
Haud facile eluimus primos quos pura colores.  
Lana bibit, seruâtq; diu noua testa saporem  
Quo primum est infecta, annos & durat in omnes.

Ping: quid in rassa, fuerit quodcumq;, tabella,  
Hærebit, nec quis temere exeret. unica matrum  
Cura est, quas uestes puer induat, undula quid sit,  
Serica que cois dedit India uelleræ lanis,  
Antè tenet, quam que patribus reuerentia canis  
Debetur, quid religio: aut que elementa latinis  
Alpha & beta sient, quam gr̃y lallare pararit.

Corruptæ

Corruptæ Phario mentes & corpora luxu  
Franguntur, uires animi fluitantq; solutæ.  
Lectica inuehitur, serui inter brachia pendet.  
Scilicet hæc fierent, prisca si qua uncia moris  
Viueret in uenis, aut uis proauita, paternis?  
Nil pudet his auis tenerorum ita turpiter annos  
Perdere natorum, queis postquam adoleuerit ætas,  
Cum sapient patruos, proh ò dij, inuisa precentur!

Hæc præcepta Crates, hanc inspidamq; saliuam  
Vnguibus à primis pueris barbata magister  
Si uideas patres infundere, nonne flagello hos  
Pulsares? cur ista doces? hoc dedecus unde est?

At quantum hi sapiunt censes, qui stemmata longo  
Ordine pernumerant, & opum centena quotannis  
Millia, quid prodest elucubratus anhelos  
Musarum cultus, partaq; labore camæne?  
Dementent, genuit quos Cynthia quarta cerebrum  
Hi, quibus unde parent uictum, uix drachma superste.  
Fato immaturo ut iam concessere parentes,  
Excipit eductam stultè tutela iuuentam  
Durtior, ut mores quos sedula cura remordet  
Ut mens utq; animus studijs formetur honestis,  
Dum uictum inflecti cor ad præcepta magistri  
Possit, & eradi mala si qua hæserè parentum  
Stultorum uitio maturè, ingente labore  
Ægrè ignaua queas contundere pectora: blandis

si ne.



Si nequeas leuimentis, serula atq; flagellis  
Compescas, donec peruicta ferocia rursus  
Se efferat, auellatq; simul conuictus ephëbum  
Improbis à Musis, quos indulgentia segnes  
Blanda patrum à primis iam olim corruperit annis.  
Diues homo es, quorsum tantum exhaurire laboris  
Collibet? & quem auro ditis patrimonia census  
Nobilitant fama, quem stemmata clara parentum,  
Et genus, & quem ætas tutorum iure superbo  
Eximit, uxorem ducas insane pudicam.  
Nonne uides & me, qui sim prognatus eodem  
Ordine itemq; loco, mihi quàm sit laeta iuuentas?  
Otia ut afficiunt: quid questus alea pernox  
Adferat? ut medias in luces sterto supinus?  
Cætera nil opus est protexere commoda uitæ.  
At tu ubi taurinis resonât noctesq; diēsq;  
Omnia, putrescis, clamoribus, omnia foedis  
Sordibus ac pedore oleant, hic inter oleta  
Tu perdis uitam, noli uexare cerebrum.  
Musarum studijs & Apollinis æde relictæ,  
Fit faber, aut pictor, uel fit coriarius ater.  
Fortior aut discit componere scrinia, uel fit  
Hermoglyphus, uel diues agrorum ducit aratrum.  
At post annorum pauca ad se lustra reuersus  
Ut simul ingenium accreuit maturius æuo,  
Nihil didicisse dolet, sero sapiunt Phryges: annos

Præteritis

Præteritos reuocare nequit, strepit inter olores  
Anser hic, & bardus doctos sedet inter, asellus  
Pisce magis mutus, uesane more cicadae,  
Aurea quæ triuit per amœni tempora ueris  
Nulla fruge bona. at quanto formica cicadæ  
Præstitit? horrentes quæ plena messe per agros  
Sudabat uectando humeris frumenta sub antrum?  
Exiguum, at duro prognatum aptūq; labori  
Brutum animal, rigida tamen est memor aspera brumæ  
Hora quid ad portet. non hic quid sera senectus  
Inuectura slet, quid uesper serus, in altam  
Descendit mentem, demens præcordia Glaucus.  
Tristius haud aliud pondus grauiusq; senectæ,  
Quàm quod non habeat, quo tædia dira repellat.

Sunt & qui ætatem excusant, annosq; tenellos  
Tanquã immaturos Musis, & frigora ferre,  
Ferre æstus plagasq; graues, uix bina per agit  
Lustra. quid hic præceptorum perferre boatus  
Terribiles potis est? non alpha & beta duabus  
Mensibus addiscat. non sufficit hercle labori.  
Cautio quorundam est isthæc coruina parentum,  
Quorum perpetuo postquàm conuiuia cantu  
Impuro resonant, momento pusto nullo  
Quantū uis crassus, non intellecta disertè  
Ceui coruus quondam, mox lubrica carmina reddit.  
Quod si obscæna queat, nullo cogente magistro,

Quæ



Quæ uix dicere fas, perdiscere Marte suopte,  
Qualia non Sybaris mollis permetteret, uide  
Pronius hic quanto linguarum elementa salius  
Instilles? quanto residere tenacius alto  
Pectore posse putes, quæ puro uerba capessat?  
Excipimus risu, quæ dicta pudenda relatu  
Protulerit. clamatur, id. dant oscula gnato  
Fœlici ingenio, mirum ni rhetora de se  
Promittat, magno fundat qui uerba boatu:  
Aut uatem, in mores opprobria scribere sauum.  
Ipsa licet Musas attingat tardior ætas,  
Sintq; elementa aut hæc mala, & incunabula primi.

Quod dirus si offendat odor, nimiumq; tenello  
Dura pauimenti est humus, aut inimitior æquo  
Virgarum terror, facièsq; nimica flagelli,  
Thure uaporatus locus & suffitius amomo  
Perueat, atq; auram narcissus naribus afflet.  
Puluillos floccis tumidos substernerne sedenti,  
Mollibus aut centonibus insultos dato pennas  
Iunoui sacras, eandas aut porge lupinas,  
Podice ne tenero uibex, ne natibus usquàm  
Liuor, & in leni cute terra impressa cicatrix  
Debilitet neruos, animum auertatq; camœnis.  
Quantus ad extremum rhetor, quantus sophus iste  
Euasurus erit? palmâq; hederâq; sequaci  
Dignus: & ad cuius resonent os pulpita plausu.

Cætera

Cetera quæ huc spectant stultorum exempla parenti,  
(Ut finem faciam) tam sunt ea multa Tigelle,  
Ut complere queant numerosa uolumina Lippi  
Crispini, Iliadem aut prolixam insignis Homeri.

SATYRA TERTIA.

1595.

**Q**ui fit, ut indoctos barbata fronte magistros  
Adductoq; supercilio, admiretur ineptum  
Vulgus, & ingenij his plus arbitretur inesse,  
Quam qui Cirrheas Lauros hederasq; sequaces  
Sint meriti, purum fontemq; hausere Caballis  
Nomine non uno fœdè peccatur in hac re  
A multis, uerum quod tute fatebere Nanni.  
Hic simul ut didicit tria carmina culta Maronis,  
Arma utrum, nusquam non inter pocula in udo est.  
Aut si quem excerpserit uersum, dictumue celebre,  
Verbaq; facundo non lecta uolumine Tulli,  
Expirat magno plausus captator hiatu.  
scilicet hoc grande est aliquid, uulgiq; saluam  
Quod minimum sapiat, magni sed anhelet acumen  
Chryssippi, & tua uerba oleat doctissime Persi,  
Nam didicit uersus aptè concludere, & acre  
scribere, cui inuideat Lucilius ipse, poema.  
Historias solus digiti percallet ad unguem.  
Non temere est, totus pallet, mordetq; labellum.  
Nonne uides refugos oculos: nocturna labore



Lumina qui liuent: atq; est popularior illis  
Multo, qui docti nequicquā audire laborantē  
Hec me commendat crasso persona popello.  
Nesto subinumeros, & conuenientia vulgi  
Iudicio tria uerba, ut sic piscem attrahat hamus.

Mallius id quondam fecit, qui sarcina onustus  
Librorum, cuiuis fuerat protrudere mercem:  
Simius, & suauis falsi cornicula Flacci.

Nam nasutus homo solitus suspendere naso  
Quoslibet, & uitium quamuis leue garrulus ore  
Atq; insulsa loquax, aures surdaster obesas,  
Carpere, cum uerbis uertisset Græca latinis,  
(ipse ferebat uti) non aptè elementa sciebat  
Nectere, huic stupido quiuis credebat a sello.  
Si casu digitis auro occurrißet onustus  
Sacrificus, dudum aut non raso uertice, planus  
B plaustro ueluti torquebat scōmata seuus.

Quanto rectius ille mihi dixisse uidetur  
Qui quondam Phœbo sapiens dictus fuit unus:  
Hoc se scire, ait, unum, quod sciret nihil. ergo  
Aut sapiens non est, uel iners, cui pectora succo  
Veratri expurges, atq; arro corda ueneno.

Trade mihi puerum, magnum Polyhistora dicas  
Qui paucis gnatum formem tibi mensibus, illud  
Bellum hercle, & gratum est plebi, cui pectore leuo  
Nil sedet, ingenij cui nil, neq; iudicium ullum est.

At de concinnis ibi questio moribus omnis  
(Vnica cura quibus debetur) mittitur, ac si  
Cum Musis habeant Charites commertia nulla,  
Cum satius foret indoctum bardumq; relicum  
Hunc bene compositis qui adolescat moribus his, quæ  
Maturus grandem natu comitentur in annos,  
Quam infœlix lolium latam corrumpere messem  
Vt si committas, filicemq; increscere tristem.  
Vnguentum laudat, quo extrudat pharmacopola,  
Laudat mercator mercem, mendacia plenis  
Folibus expirans. hederas uitiosa phalerna  
Hoc pacto exposcunt. ita & hic formator ineptus  
Pubem emendicans se uenditat, & sua laudat.  
Improbus, huc illucq; means peregrina locorum,  
Omnibus ut digitis dūtoos monstratur exivoe.  
Bellum hoc dignum Helicone: nihil nisi stulta senectæ  
Indicia incane, à tergo canis Appula linguam  
Cui exerat, & sannis in quem ludatur amaris.  
Finge tibi docilem, quam tu uenere iuuentam:  
Ipse Midas asini qui cum sis auribus, amplas  
Implantas tremulo nugas & uerba palato:  
Ipsam barbariem, quam putida sacula Galli  
Conatu induxere graui non alite fausto,  
Et quæ oleant sapiantq; fecerunt hanc, sed & ultima primæ  
Primæq; posterius: quæ res præpostera socco  
Rideri digna est, Flacciq; secunda lucerna.



Men' ridere uetas? quid si tu more theatro  
Conductus saltis medio, aut si caritus atrā  
Concutiens tædam, simules referāsue furorem,  
Naribus indulgere mihi prohibebis acutis?  
In speciem promittis grandia: ridiculus mus  
Proflit, egregij sponsor sine fronte laboris.  
Cumq; uiro foret hoc dignum sapiente bonoq;  
Nil magnum buccis spirare tumentibus, at re  
Prouentum magnum præstare, ac re potiora.

Doctorem uitio à teneris corrumpitur ætas.  
Namq; horum insulsam facit indulgentia pubem,  
Nenimum rigidi patribus, nimiumq; seueri  
Dicantur primam imperio tractasse iuuentam.  
Præterea multa uti libertate sinunt, si  
Sint mox pensa scholis reddenda fideliter, ut lex  
Dictat Pythagorea, sedent non ore silenti,  
Omnia permittunt miscere boatibus, adde  
In sacris diuūm, quæ fida silentia poscunt.  
Non probitas ulla elucet, sed rure uelut si  
Aut siluis medijs, & ouili ad equilia putri  
Exciti ueniant: magno sedeantue theatro,  
Sibila dant, plausus edunt, poppy sma sonantq;.  
Hic comitem cubito fodicat, rapit ille capillis  
Hunc, qui proximus assistit: non nemo cachinnos  
Nil ueritus petulans effundit splene solutos.  
Obuius est pietate grauis, quem cana senectus

Conspicuum facit, & uenerandū honor omnibus, isthūc  
Prætereunt ueluti statuam, aut ex angue cadauer.

Atq; hæc qui infundunt pueris grauiora merentur  
Quam ille phaliscorū quondam moderator ab hoste.

Hæc ludos reddit peruersa licentia planos  
Sed frugem exiguam. quid enim potis est, ubi nullus  
Supplicij ex uitij leuibus metus hosce coerces?  
Labimur è minimis facile in grauiora mala. annis  
A primis prona est quoniam natura sequaces  
In noxas, cur disciplinam odere seueram.  
Interea magnus friget Cato, nomine nullo  
Declamat Fabius, raro immugitq; Theatro.  
Hanc ob rem Orbilius plagosus dicitur, ergo  
Dignior ut quisque est doctor maiore theatro,  
Hoc cura maiore docet formâtq; iuuentam, &  
Ceu patruus censorque notat: peiora fenestram  
Ne inueniant, ueluti tabo aut putredine fractum  
Archagathus membrum resecatue uiritue metallo,  
Ante lues totum quam in corpus seuiat atra.  
Illi, quos dixi, crepidas qui lingere possent  
Carbatinas, formare rudes, & utrique parentes  
Cum malè sint cerebro sani, præcepta seuera  
Quod nequeant æqua mente in sua pignora ferre,  
Ridentur merito, nam postquam in arundine longa  
Desserint equitare, & stultè incedere grallis,  
Ad citharas asini euadunt, magnus uelut olim



Cecropidum est habitus plena inter pocula ductor,

Ad coenam inuitatus eo, laudare poetas  
Occipiunt, laudant scriptores historiarum,  
Et iuris pensant trutina legumq; peritos  
Conuiuæ, extenuo contrà, mihi quod datur, horum  
Ingenia, & conuello simul: nemo obstrepit hic mi.  
Omnibus antefero me, sum mihi buccina, agoq;  
Suffenim. improprium hoc: non argumenta coherent,  
Ista patrum est comptis oratio culta figuris:  
Non bene disposuit partes: obscurior ille est,  
Quàm quem dispicias, locus, aut intelligat ullus:  
Quanto tersius hoc cecinisset nostra Thralia:  
Aptius hos numeros clausissem, hic ordo figuris  
Inuertendus erat: tragico ista agitanda cothurno.  
Acclamatur, id. plausus fremitusq; sequuntur.  
Et uiridis mihi palma datur. sonat, euge poeta.  
O quanti sapere est, quanti sapientia constat.  
Laudor ab omnibus hoc pacto, cum grandia spiro,  
Et fumos, quo conciliem mihi nomen, inanes.

Si qua uel ad magni de sudem exemplar Homeri.  
Vel Ciceronis, id autem obtrudo quibuslibet, in me  
Transfero persæpe atq; alienos arte labores.  
Non tectam aduertit rudior plebecula fraudem,  
Omnibus assentans do dextram & uerba: saluto  
In triuiis, quòties occurrunt: blandior ultro,  
Hæc docti nequeunt, etiam præstare recusant.

Ergo



Ergo rigas hortos paruo conduce Cleantes,  
 Et trahit esse molam Romana gloria linguae,  
 Plautus, item foricas alij furnosq; calentes  
 Conducunt, purgantq; alij à pedore cloacas.  
 Mentiri nolunt, se ipsos laudare molestum est.  
 Ostentare pudor prohibet, deponere frontem  
 A Musis ducunt alienum & turpe disertum.  
 Hinc Bauus uulgi, hinc celebratur Meuius ore,  
 Et quisquis captat popularem his artibus auram.  
 Plebs popularia amat, mens est præpostera rebus.  
 Iudicium stupet, & caeca caligine mersum est.  
 Nam mala, pulchra putat. cõtrà, optima spernit & odit.

SATYRA QVARTA. 1596.

**C**redo equidem atroci fato redijse gigantum  
 Tempora, quos uates cithara fidibusq; canoris  
 Threicius docuit mansuetos sumere mores,  
 Et Musas colere, & reuereri numina diuùm.  
 Hi posuere tamen mirati plectra sonora  
 Barbariem, in pagos plaustri rhedisq; relictis  
 In uicos coiere, urbes cinxere corona.  
 Amplexi leges, & relligiosa deorum  
 Iura, magistratum ac sanctum legere senatum.  
 Numina ceu, uates è caelo lapsa uiròsq;  
 Dicendi gnaros magnis donare talentis.  
 Atq; hæc indomiti Nomades, passimq; uagantes

*Sedibus incertis populi, ut mansuescere cultu  
Humano cœpere, & sanam carpere mentem.*

*Ringor, & extremas uolitare liberet in oras  
Maurorum, summas Libyes & Tethyos undas,  
Diuiinos quoties hac tempestate Tibullos  
Nafonesq; fame, atq; illustria nomina uatum  
Vrgeri, non Herodotis, neq; præmia Crispis  
Pensari uideas, ut si certaris Homero.*

*Tunc pulchrum studijs erat inuigilare, & olenti  
Cudere quod cædro foret, & quod Apolline dignum:  
Tunc in præpingui campo perferre labores  
Dulce fuit magnos tauris bene gramine pastis.  
In sterili ecqua uolet fundo sudare iuuenca:  
Eneruant robur male pastum onera ardua, dura  
Membræque deficiunt, & inutilis ipsa colono est.  
At nunc quo uertas te, cunq; sub ætheris axē.  
Sive Paræthonios Gangenue, à Gadibus usq;  
Herculeis, uix est iusto qui Heliconæ fauore  
Respiciat, sanctum Musarum aut numen adoret.*

*Floribus hic gaudet Samiorum, hic lautus opimis  
Intentus dapibus Veneri subseruit, amator  
In Venerem cæuet, perditq; parata labore.  
Alea dilapidat Galbæ damnosa fritillo  
Noctes atq; dies totum quem possidet, æsem.  
Nil memorare Midas opus est, queis fulgeat auro  
Suppactum argentóque solum, qui iugera mille*

*Possideant*



Posideant terræ, quantum uix miluus oberret.

Romam uade puer, Luculli ad scriuia perfer  
Carmina demorsos spirantia molliter ungueis,  
Queis olei multum perijt, quibus ipse Catullus  
Inuideat, drachmis dic sex opus esse poetæ:  
Haurit aquã, rigat usq; hortos, neq; uina decembra  
Gustauit toto, pallêtq; & frigidus horret  
Veste sub attrita tectus malè, buccina quare  
Raucescit grauis, ac resonat nil tibia clarũ.  
Miratur grandè Lucullus amãtq; boatum  
Carminis, ast aurem est de re surdaster utramuis.  
Non consanguineus mihi is est, neq; carmina mercor  
Quamuis tersa, licet sapiant spirantq; Maronem.  
Vile nimis foret æs, paruiq; pecunia fiat,  
Hac si tu redimas tinnitus semper inanes,  
Aeloquijsq; sonos, & garrula carmina uatum.  
Scilicet hæc studijs sunt uulgò præmia, reges  
Olim quæ clariq; duces coluere, triumphis  
Vexeruntq; suis, auxere & honoribus amplis.  
Ille Iugurthino qui bello magnus & armis  
Et qui ad Musarum cultum durus fuit, ipse  
Attamen afflatus coluit fouitq; poetas.  
Ennius in tumulo magnorum conditur alto  
Scipiadũ, pro dentato in se præmia uati  
Pernumerare iubet non culto carmine Sylla.

Scribimus historias, alius pede carmina uincto,

Quæ res magnorum celebrantur prælia regum:

Aut intestini motus tristèsq; tumultus.

Gloria quo sua stet claris rectoribus & laus,

Hæc opera immensis constant sudoribus. & sunt

Viuendi seris documenta nepotibus, atq;

Humana exemplar, neq; fallax regula uitæ.

Hæc qui non reputat, nihil à puerilibus annis

Discrepat, à clauo rerum exturbandus, & ille

sufficiendus erit, doctum qui scripta uirorum

Calleat, & qui consiliùm bene temperet usus.

Hæc norunt soli sacris reuerentia quanta

Lebetridum mystis, quis splendor, præmia quanta

Debentur, qui sponte sua didicere malignam

A studiis arcere famem dirumq; laborem.

Ergo Giganteo quando de semine natis

Progenièi terræ respública creditur: hinc fit,

Cur ratio studiis rectis, neq; debita Musis

Pensetur merces, frustra imploresq; senatum

Mitte mouere mihi stomachum risumq; solutum

Comprime. quid rides concussus membra cachinno?

Audi. non possum: quia splen me intus malus urit,

Disilio, & bucca cur effundatur aperta

Est ratio, caprificus: in aurem dicere non fas.

Longinus quondam magnus potor fuit, atq;

Strenuus in bifido lusor de nocte fritillo.

Sæpe dies totos ad sera crepuscula lucis

Perdere



Perdere in aluicolo furiata mente solebat,  
Inde domum rediens (dubium superauerat hore  
Tempus) ab occasu Phæbi sæpe inter eundum,  
Sub cruce, uertice ubi lacerata cadauera furum  
Pulsabat, reliquus si esset sestertius unus  
In oculis, ponebat. ubi frugaliior inde  
Factus ad eximium sanus respisceret unguent,  
Facundos odisse uiros, odisse sacratos  
Pieridum fontes, ut nemo tenacior esset  
Euclio, præparcus; cœpit, faciemq; cacantis  
Distortam Phæbi referens moresq; Catonis.

Pompei de gente alicuius funus acerbum  
Ambubaiarum flebant collegia, mimi,  
Cantorum proceres, citharædi, tectones unâ  
Rhythmorum suaues barathronum turba nepotum,  
Gens, quæ & in Hermogenis iurauit uerba Tigelli,  
Iosquini, Occechimi, & qui ridicularia fundunt  
Bardocucullati, atq; auriti tempora mori,  
Pantolabæ, impostor Planus, atq; Arbuscula fallax.  
Pullati illius miserando funera luctu  
Iunonis Magnæ ceu sacra, aut plaustra Cybelles  
Atra sequebantur soli: nam nullius æque  
Indoluit mortem gnatus bustumq; parentis,  
Atq; hæc turba, Mide, Nomentaniqu; nepotis.  
Miraris quæ causa fuit, fuit his pater & rex.  
Illius cœnas lauta & conuiuia luxu



Exhilarare iocis falsis uel arundine rauca  
Disparibusue aliquo cantu resonante cicutis  
Absoliti, quoties cithara conchæue canebant,  
Præmia magnifice non contemnenda ferebant,  
Distenti uentres fœtentes ora lyæo,  
Ut neq; mens neq; pes (si quando ad tecta redirent  
Sub noctem mediam, interdum Titanis ad ortum)  
Officium faceret. quoties damnosa sonaret  
Alea, turba frequens aderat ceu putre cadauer  
Cum milui circumuolitant coruiq; rapaces,  
Fœlicem Venerem excipiunt clamore secundo  
In speciem plausu reboantis ad astra theatri  
Vicit, id, noster. cantare subista triûphum  
Vocibus imparibus, stadio ceu uictor ad amnem  
Alpheum dictus præconis uoce sederet.  
Prodigus extemplo pretium gratantibus uliro  
Ponebat uictor subridens fractus ocellis.  
sic abiicit in hos ingentes æris aceruos  
Non bene subducta demens ratione, libellum  
Donasæ, aut si facta esset mentio, sumptus  
In studia & ludos faceret. malo, inquit, obesas  
Auriculas numeris, & me oblectare disertis  
Verborum rhythmis, quorum strepitu atq; susurro  
Mulcear & gratos decerpam pectore fructus.  
Ergo huius iusto luxerunt funera fietu  
Morio, scurra, Planus, balatrones atq; cinædi.

Ecce

Ecce gubernaculum fatuo committitur, at quem  
Nobilitas sua commendat, cui si rudis etas  
Forte adiungatur nullis exulta camœnis:  
Ut similes habeant lactucas labra, quibusq;  
Relligio fuit à teneris gustare Caballi  
Sacratu riuos, sed qui nil scire putarunt  
Excelsisq; uiris, rectoribus atq; decorum.  
ἦδ' ἰσοϋ βίον . hi ceu dira aconita solebant

Ingenij cultum detestari, inq; triumphos,  
Scenarumq; superuacuos diffundere sumptus  
In ludicra, fames quod si domuisset Homerum,  
Aut si illustrasset patrias Luceius oras,  
Donassent nunquam præsegmina pollicis, ut non  
Buccina sicca siti raucesceret horrida, patres  
Pignoribus mentes has instillasse putarim,  
Dogma & ab Ausonio ipsos accepisse Thalete.  
Ille per Italiae populos, urbesq; frequentes,  
Pignora ne sua quis prima ultra elementa doceret  
Edixit, satis esse uolens contexere beta  
Alpha & delta, nec intellecta sonare latina.  
Terribilis, cui Roma potens, cuiq; Itala tellus  
Paruit, ut nunquam gens illa togata Neroni.

Dicere est fas est, cur non fas ulla Quirinè  
Si uis in uenis foret, hanc Romana tulisset  
Barbariem uirtus: atq; idem carcere cæco  
Erubuit doctos nil diuexare catasta.



Quorum alij crassa caligine funera mille  
 Passi supplicijis foedo periere barathro.  
 Pauci, quos gleba sinxit meliore Prometheus,  
 Mox huius post fata sopiti, haud sine numine, durum  
 Naufragij incolumes agrè euasere periculum.  
 Quanto turpius hoc, quàm à tergo appinsere Phæbo  
 Auriculas digitis: aut restim mittere, qua se  
 Suspendat uates afflata mente laborans?  
 Quod si nobilium proceres, cœliq; propago  
 Hoc uiuunt pacto, quod si silicernia, dextrum  
 Quiq; pedem in cymbam senis im misere Charontis  
 Cœruleam, hoc pacto studiorum sacra profanant.  
 Progeniem Terræ tantorum exempla sequutam  
 Heroum, hæc eadem sine mente imitari er ausam  
 Mirandum? & Dauum magnum ridere Platonem?  
 Amplius haud est cur, titillet gloria fibras.  
 Nam quæ uersaret Lymphatum amentia pectus,  
 Præmia si tibi nulla forent speranda laborum?  
 Vre foco libros uel trade uolumina blattis  
 Et tineis rodenda, libet purgare cloacas,  
 Ut Triglantinz cœnæ mihi uiuere raptò  
 Copia sit, quoties Phæbo noua luna propinquat.  
 Præterunt soles, redeunt sub tempora ueris,  
 Ferrea si modo sint, p̄st, aurea secula surgent.  
 Gratia cum Musas & gloria prima sequetur.

SATYRA QUINTA

**N** Empe barathronum cecini densa agmina funus  
 Diuitis unius Pompei ex gente sequuta,  
 His diuersa hominum coniunxi nomina, mimos,  
 Cantores, moros, cytharædos, atq; magistros  
 Rhythmorum, quibus ille fuit sestertia mille  
 Absolutus largiri, & magnum ferre talentum  
 Pro numeris, cantu, risu, salsq; lepore.  
 Decoctor magnus, rerum abliguritor opimūm,  
 Delius ecce oritur subito mihi Delphicus, ipse  
 Octauus sapientum, qui mea carmina pulchrè  
 Inuertit, clamans collegia sancta notari  
 Rhythmorum, atq; à me hos barathrones dicier, adde  
 Ridiculos mimos, moros uilesq; subulcos:  
 Adde asinos, & si quid foedius adijciat quis.  
 O terram, ò cœlum, maria ò Neptunia, tantan<sup>r</sup>  
 Mentibus innata est hominum uecordibus: imò  
 Barbaries: ausint afflati ut uerba poëtæ  
 In sensum torquere nothum: & dispergere uoces  
 Ambiguas: à me culpam causâq; disertis  
 Rhythmorum impactam rabulis quod casta sororum  
 Agmina Thespiadum sint sacro è uertice pulsa  
 Parnassi, & summis Heliconis montibus acta:  
 Quis leget in nostro hæc præcordia carmine sanus?  
 Diximus illud adhuc sanctum & uenerabile nomen  
 Lebetridum florere, simūlq; in uertice dulces  
 Cantillare modos, cygnæum carmen ubiq;



872  
Audiri, non explosas, uelut ille disertus  
Scilicet enodat Rhythmis numerisq; facetis.  
Ecquis id insanus, furisue agitatus Orestes,  
Dixerit: aut beta fatuus mage Morychus ecce  
Cum loca doctorum sint sparsim plena uirorum?  
Et studiū omne genus uernet? quæ nã ergo mea est mens  
Fœlices dixi cantores, rhetoras, omnem  
Ambubaiarum turbam, mimos, cytharædos,  
Et qui in delicijs faciles lepidasq; per artes  
Diuitibus soli sint, à quibus omnia soli  
Commoda Lautæ parant, auri argentiq; catenas,  
Munera pro fracti pruritu digna cerebri:  
sidonio chlamides & uestes murice tinctas,  
Auro interstinctos fuluo thoracas & ostro.  
Vnde adeo nulli compendia proueniunt, nil  
Publicitus, tantum nisi quod radantur inani  
Pruritu auriculæ teneræ blandiq; susurro.  
Crassorum cœnas & pinguia prandia uentres  
Dum consecretantur nimium bona præmia cernunt.  
Id nequeunt docti, simul & præstare recusant.  
Ergo gurgitibus fœdisq; nepotibus, & queis  
Pectore nil saliat læuo mico cuspide solis.  
Nam sua inutiliter bona dispensantq; locantq;  
Nec prosunt sacris enormes atq; supini  
Aonidum studijs, sed opes in dolia fundunt  
Belidum, ut id genus est plebs prodiga diuitis aræ.

Quanto

Quanto rectius & laudabilius bene Codro  
Fœlici ingenio facere, ex quo Mercurius pōst  
Euadat probus, & qui pōst regat oppida & urbes  
Aut legum emergat gnarus iurisq; peritus:  
Qui causis miseros olim tueatur agendis:  
Aut qui docturus sit uerbi oracula sacri:  
Vel medica arcebit præduros arte labores,  
Qui ue uagam à primo formabit lacte iuuentam:  
Huc aurum conferre suum decoctor opēsq;  
Deberet turpis, cum perdit inutiliter res.  
Hæc si iudicio possitis affectibus acri,  
Ut meliora forent, quã in Rhythmos aut cytharædos,  
Callirhoen fœdam, Nomentanumq; nepotem,  
Abjicere, expendat censor iudexq; malignus,  
Dixerit, intra oleam multum, atq; extra in nuce duri.

Sed meus interpres doctus bene, doctior ipso  
Authore, & mentem, qui emunctius haurit apertam,  
Exclamauit iò dominam rerumq; parentem  
Rhetoricen nostro uiolatam carmine: contrã  
Se fore patronum, neq; enim, quin talio crudis  
Luderet apta modis, se misurum, ut uel iambi  
Colla Lycambei ad restim compellere sannis  
Possent nostra malis, res pleno digna theatro.

O curas hominum, quis non exclamet, inanes?  
O quanti sapere est, quanti sapientia constat  
Nasutis: quanti sciolis censoria uirga?



Omnia cum norint aliorum apprehendere morsu  
Dentato, & rhythmos clam famososq; libellos  
Postibus ad Lunam nostris de nocte silentem  
Figere, & e plaustro conuitia dira minari.  
Non legum prohibete metu, quod Apolline dignum est,  
Vix quisquam ex albo hoc, cudat, uel pulpita cedit.  
Prisca diu damnata fuit comœdia quondam,  
Ob libertatem torquendi scommata quæuis,  
Infamis uitio si quis foret: inde notare  
Permissum crimen, suppresso nomine, solum  
In commune, quidem ut linerent sua fecibus ora,  
Carmina ut ignoti canerent spectantia plausum,  
Non stomachum aut bilem cuiusquam urentia cacam.  
Cui non turba grauis pago est hæc nostra uel urbis:  
Dum canit ad myrtum non condita carmina paci  
Infecta, atq; altæ populorum inimica quietis  
Abstinet à uix nominibus, quin sacra prophanis  
Concitet: hinc illæ lacrymæ, dum tangere certant  
Hulcera cruda, quibus parcendum ante omnia par est.  
Quinetiam (quod grande nefas) sacra ipsa Theatro  
Exponunt, ubi sola iocis agitanda prophanis  
Fabula, quæ mores formet uitamq; solutam.

Salsius hoc non paulo, cum trygodæmones inter  
Pocula, consueta pro libertate uideri  
Facundi studeant, indicta silentia sunt o  
Indice porrecto, fit concio, qualis in æde ex

Suggestu



Suggestu ad populum sacra consuevit haberi.  
 Conuiuæ aduertunt, casus laudantur amœni  
 Carminis, ipsa sedet facundo in gutture Pitho.  
 Obstrepat hic aliquis dicenti irrisor ab ouis  
 Ad mala usq; (ut sunt hominum diuersa palata)  
 Abrumpit filum rhetor causâmq; forenssem:  
 Aut miscet pugnas extemplo: & si rogetur quis  
 Sub tegmen pergat ceptum contexere, nulla  
 Inducas ratione. unguenti in lente ita multum est,  
 Garrulus ut mirum, quod non consumat hiatus  
 Assiduo sanas odiofo & carmine mentes.

SATYRA      SEXTA.

1598.

**E**cce iterum in satyras acuit mihi pectus amara  
 Bile tumens stomachoq;, acceptæ iniuria fraudis,  
 Læsa fides docto uiolataq; dextra Cratino,  
 Fas contra summi iusurandumq; tonantis.  
 Et tu hæc luminibus pater optime despicias æquis  
 Horcie? qui tenues magno sine crimine labes  
 Et noxas punire soles, humanaq; quondam  
 Errata, unde aberat scelus, & mens unde maligna?  
 Quid referam horrendo quàm tum periuria in iram  
 Fulmine succensus flammantem urente petebas,  
 Impietas faceret cum ferrea sæcula, cumq;

C 2

Rara

Inhibere summo, tu atq; manu uerba  
 Deferre Acridium perfero uerba puer.

Rara inter fratres concordia frena tenerent:  
Hospita iura quibus, neq; religiosa sedebant,  
Audaces nimium terreas asteropetes.  
Tum tua terribilis tum formidata potestas  
Magna fuit, mentes tua cum inclementia prauas  
Frenaret, nec eas sineret grassarier ultra.  
Nunc quia in humanis facilis patientia rebus  
Excitat audaces nimium, & tua lentior ira  
Mortales, in utramq; aurem te agitare supinum  
Otia conclamant. hinc fit cur sidera dextris  
Affectent, magnôq; tuo cum numine pugnent,  
Saturnum esse rati, qui fractus membra senectæ  
Deliret, non audiat aurem surdus utramq;.  
Et mirum, quid calliditas non audiat ultero  
Versuta in causis uersata forensibus, ut iam  
Æquior haud paulo iudex corruptior adsit.

Scribantur tabulæ, consignenturq; sigillis  
Millenis, adsint testes, totidemq; tenellos  
Subijciant digitos, qui scribunt acta, parati  
Quemlibet ad uentum, atque horæ cuiuslibet auram:  
Exoritur rhetor fortis latus intrepidusq;,  
Et minime traulus, qui nigra in candida norit  
Vertere, qui facta hæc dicendo infecta probarit,  
Et si dijs placitum est, laudant uocale disertis  
Eloquium numeris, quod candida uertat in atrum.  
Claudius ora rubens & uerrucosus henorches

Montani



Montani leges scribebat, & acta poëta.  
Multiscius polyhistor, bellus homo atq; facetus  
Frangere ut heminas ædilis cœpit, & ultra  
Quàm satis imperium nactus seuiret, ut esset  
Omnibus inuisus: fasces seuásque secures  
Sic exercebat. non fabula notior hac est.  
Indixit bellum rati, rescindere pacta,  
Fœdera iusta, fidem tabulas uiolare tenaci  
Impressas cera, digitis quas iussus ararat  
Ante suis. quare huic dentato carmine morsum  
Inflixit rursus diuino pectore uates  
Bestia cornupeta, pasta & quæ sparsit harenam.  
Ille hos uersiculos sanis fixisse deorum  
Dicitur, atq; abiens totam cantasse per urbem.  
His tabulis culos poteris crepidásq; ubi uisum est,  
Tergere carbatinas, & per purgare cloacas.  
Aut naso has suspende tuo: sic compita circum  
Et circum pagos altus gestere pheretro,  
Vt diuûm simulachra solent, & sacra Cybeller.

Castâ fides patri diuûm dextra asidet, orbem  
Æterno cum quo conseruat fœdere totum.  
Hæc fora, iudicia hæc, urbes & regna potentum  
Consociat regum, & populorum continet arces.  
Hæc regit imperia, & moderatur legibus æquis.  
Sed tanta ingenijs dominandi innata libido est,  
Humanis, ut turbatis affectibus, æquo



Attribuant plus, & uerum rectumq; relinquunt:  
Exoptent quod abest ferme bonum & utile semper.  
Et postquam id nacti sunt uoto animisq; potiti,  
Excipit id præsens fastidia: namq; palata  
Delectat uarius cibus, & diuersa uoluptas.

Si mihi quis legum fontes producere sacros,  
Bis senas tabulas, quas Græcia docta Quirino  
Miserit, occipiat, duris fiducia neruis  
Atq; fides bona dicetur sociare sub axe  
Pectora sidereo mortalia, tecta domosq;.  
Inter namq; bonos, & conuenit inter honestos  
Æque agier meliusq;. quid hoc? simulatio nonne  
Et dolus hic, & calliditas excluditur & fraus?  
Hac sine, quæ rata pacta forent? commercia quænam?  
Contractus quis intre uolet? quis fœdera amico  
Credere, si staret fiducia passæ fenestris?  
Præstaret nemo: misceretur mare coelo.

Prædia quis uendat, uitium si supprimit, haud est  
Vir bonus, haud sapiens, quod honesti à cardine cedat,  
Et taciti uitij pœnam incur satq; meretq;.  
Ergo Centimalus, rectè arbitrante Catone  
Claudius in fraudem cecidit, quod uenderet ædes,  
Quas æquare solo trabeatus iusserat augur.

Callida displicuit non abs re astutia priscis,  
Quam sophus ingenio tantum & ratione secabit,  
Ad uinum. longè secus at ciuilia iura,

Multo aliter leges, in quibus uix cernitur umbra  
Iusticia tenuis, uix effigiemq; tenemus,  
E medio tollunt fraudem, & rudiore Minerua.  
Vera fides quid sit, quid sit fiducia, tum quam  
Hæc pateat latè, pauci dinoscere possunt.  
Hinc sit, cur uulgo corrupta licentia magnos  
Cogat abire uiros transuersos sæpe, sacratas  
Dum contra leges se nil peccasse fatentur,  
Sub quarum clipeo ceu tuti Aiaceis ahenis  
Deliteant: tamen hos delinquere turpiter ipse  
Exclamaret Anaxagoras, & turba Sophorum.

Porro, qui citra tabulas ceramq; fidelem  
Pacta fidemq; audent, sperato temerare deorum  
Numine, non scriptis parcent, neq; testibus. & qui  
Depositum audeat acceptum sine teste negare  
Is præsentem etiam Pharium iurabit Ostrim.  
Et tamen hoc genus absoluunt & liberum abire  
Iura sinunt, at præsertim si uertice nudo,  
Poplitibusq; solo inflexis, ceruice precari  
Obstipa apparent, delubra ad sacra deorum.

Non mihi Tarquinium laudes puto, dextra fidesq;  
A quo læsa fuit pupillis sancta pusillis.  
Non tu, qui inflatus buccas præferre camænis  
Rhythmorum numeros castis assueueris olim.  
Atq; hæc, si uisum est superis, uersutia turpis  
Inter mortales cecos prudentia fertur.



Sunt qui etiã exultant dominorum fallere dextras,  
Atq; in parte putant Laudis famęq; perennis.  
Lydius ut pastor, cui regni sceptrâ superbi  
Candaulis pro cæde dedit regina mariti  
Auso immane nefas domini incestare cubile.  
Scilicet exleges sunt reges atq; tyranni,  
Queis liceant, ea quę libeant, quos fœdera rara,  
Contineant fastu tumidos, ubi splendida bilis  
Urgeat, & tragicum semper quibus illud in ore est.  
Si uiolanda fides, si ius æquũq; tyranno,  
Imperiũ id solum regniq; libidine fas est,  
Cetera sed pietas erecta mente colenda est.  
Euripidis uox dura, & castiganda flagello,  
Qui quod in humanis scelus est capitale nefasq;  
Donauit, stimulos seuis acuitq; tyrannis  
Impius ad cædes, uastandãq; regna, cruentas.  
Seruierit scenę licet, ac personę alienę.  
Digna Perilleo uox quę reboaret in ære.

Longè erat æquior is populus, qui fœdera bello  
Punica dissecuit. sidonia mœnia Byrse  
Aggressus æquare solo, ne perfida gentes  
Terrarum, exemplo turpi dextrãmq; fidemq;  
Castãmq; purãmq; deam temerare doceret.  
Ad reges redeo, quos inter iura deorum  
Rara tenent, nullusq; metus, non relligio ulla.  
Nulla fides regni socijs, ait Accius. an non



Thebarum campi maduerunt sanguine fratrum?  
Germanum, quod pacta prior composita fefellit  
Alter: nec regni solium concederet ultro?  
Atq; rudimenta hæc eadem & cunabula muros  
Romanos fratrum tetro aspersere cruore.  
Rupta fides socerum à genero seuulsit, & ambos  
Funesta inter se commisit Marte furentes.  
Hoc superat scelus omne, quod turpis adultera tædas  
Funestet, uel zelotypa atra aconita marito  
Miscat, aut pretio, alterius uel mota cuculi  
Concubitu, aut odio concepto agitata mariti.  
Tyndaris ABgisihi uesano impulsa furore  
Atriden Troia reducem incautumq; securi  
Excepit, quid non patrat uita libidinis astu  
Fœmina? & in uenerem rabiens uesica furentis?  
Et quinquaginta infecerunt nocte penates  
Cæde maritali furijs stimulantibus una  
Belides: hinc iustas pertusa ad dolia pœnas  
Persoluunt, dextraeq; data irrita fœdera pendunt.

Temporibus nostris ualeant procul ista remota.  
Perfidie nusquam desunt exempla, profana  
Nomina si spectes, & relligiosa, quid usquam  
Repperias fidum? quin si te à Gadibus, usque ad  
Aethiopum terras uertas, carbone notabis  
Immensam scelerum messem fideiq; sinistra.  
Pro dulci sponde, præsto est tibi noxa, sodali:

Te præbeto uadem, quid tum? uadimonia Balbus  
Deseret, & linquet uadis in ceruice securim.  
Nunc quis erit Pylades mihi quem monstrabis Orestes?  
Sponte sua Siculi aut qui dira metalla tyranni,  
Pro capite adsciti non detrectabit amici?  
AEMONIUMUE ducem præstantem iura sodali:  
Quisue Menœtiadeu, fortem qui pectore & armis  
Hectora SIGÆIS reuocarit in æquora campis?

Illâ fides prisca adeo celebrata poëtis  
Et cantata bonis scriptoribus historiarum  
Desertis terris cœlestia regna petiuit.  
Ergo pacta fide, simul & promissa tenaci  
Sunt seruanda. mala omnia sint sine fraude dolôq;  
Nec ui facta. atqui, si quod promisit ob aurum  
Vir sapiens, prædamq; nimis uenetur auare,  
Turpe foret, uel si graue sit uel inuutile, dextram  
Cui dederis, ueluti quo se iugulauerit, ensem  
Promissum tradas non præmeditatus amico,  
Pulchrum est hic uiolare fidem. aut si qua impia prudēs  
Iuraris, furtum, aut cædem, fallenda fides est.  
Fulmine castigant commissa piacula diuûm  
Numina, & omne nefas, furiarum agitantq; flagellis.

Credita Crispino est non parua pecunia, puri  
Scilicet argenti, bis mille auriq; talenta.  
Depositum repetit fœtenti Lentulus ore,  
Inferat ut patriæ bellum, reddetne talenta

Credi-



Credita Crispinus non, nam auferet ipse nocenda  
Materiam patriæ, quantum datur, ergo ita fiunt  
Turpia, temporibus cōmutata utilitate,  
Rebus honesta suis eadem, & laudanda proinde.

Sunt & in aduersis, quos sæua pericla procellis  
Ventosos urgent dextram, quos iusq; cerebro  
Iurandum insanos uiolare: hos & tamen æquus  
Absoluit prætor barbatulus & grauis hasta.  
Regulus ad cædem exquisitâq; fata reuerti  
Maluit intrepidus Pœnos & fortis ad hostem  
Actutum Tyrium, fidei quàm ut iura senator  
Sacra profanaret salua periurus in urbe.  
Vidit enim, imperij quid rebus inutile magni,  
Quidq; sibi, famæq; decus spectauit honestum.

Vtile natura expetimus, quotquot sumus: omnes  
Hunc petimûsq; scopum, huc collimamusq; sagittas.  
Vtile repperias in solo, quod sit honestum.

Quorundam in uitium at cadimus cōmune sophorū,  
Qui diuos fulcire pedes ex uellere lanæ  
Rentur, & irasci nunquàm, neq; crimina iustis  
Supplicijs punire, sed ut Marpesia cœlis  
Saxa sedere suis, neq; despectare, iacentes  
Nectare perfusos totos à uertice, terras.  
Ira licet diuûm procedat lenta furorq;  
Tardior, at pœna multo grauiore fatigant  
Omne nefas, Rhadamanteam mittuntq; sub urnam.

Despicit.



Despicit ex alto diuina potentia cœlo,  
Supplicia intentans, qui fœdera sancta fidemq;  
Sublimem pinnis ausit uiolare decoris.  
Ergo hanc audaces, moneo colitote Gigantes

1549. SATYRA SEPTIMA.

**Q**uin Pelusiaci fugiamus ad ostia Nili,  
Aut matutini carpunt ubi uellera Seres,  
Musarum studijs & Appollinis arce relictâ:  
Nam quid agas demens, tenuis si gratia nullo  
Cum fructu, Herculeo ingratis sudore peribit:  
Ipsam humeris pubem portes licet, otia dentur  
Nulla uel à magnis mugitibus, atq; diurnis  
Ad rauim clamoribus, ut tu Euristhea durum  
Commoueas: pulsa digito, uel scœuius equo  
Voce tona, uel subde minas, ni reddere bardus  
Curet pensa puer, dira infortunia tristi  
Et ferulam, scytalenq; acrem uentura, rudentem  
A laso boue protinus ad migratur asellum.

Multis hoc uitium est patribus subúsq; Batauis  
Innatum, qui infœlices demittere sudant  
In campum ad cursus, asinos ceruice rebelles,  
Frœna recusantes, nec qui plus uerbera curent,  
Imperiũm ue gubernantis, quàm si lapidem quis  
Aut undam feriat nequit quàm cor malè sanus:  
Cum prius excussam ingenium bene oporteat, utrum

Quid

Quid saliat puero Arcadico sub pectore laeo, an  
Musarum studijs sit inutile. nemo Minerua  
Inuita quidquam tentet foeliciter: ut si  
Indocilem ad saltum cupias formare camelum,  
Stipitem & humanas doceas disperdere uoces,  
Dicant te insanire homines, dignum & biberes què  
Elleborum Anticyris, & purgarere meraco.  
Fingitur è buxo non rectè qualibet Hermes.  
Admoueas studijs tales, cedat labor omnis  
Improbis his solis tuus, & calcaria subde.  
Quod datur, ut cramben recoquas subin acer eandem,  
Efficias nihilo plus, quàm si incudibus excors  
Verba inculcaris brutis: tibi nonne minerual  
Ter geminum iusta ratione exoluere tales  
Deberent? ac præterea persoluere grates?  
Hac malè cum reputent fatuorum corda parentum,  
Quo genio, quibus aut furijs agitantur, ut ausint  
Soluere commoniti tibi respondere, bonarum  
Ecquid perdidicit Musarum? nonne tot annos  
Sub ferula fuit ecce tua? & triuisse probaris  
Æsopum? qua merce domum contendit onustus?  
Discere nil ualuit fungus, præstare laborem  
Possum equidè, ingenium ad nutum impartire negatum est.  
Littus ara, & sulcos infindito uomere, idemq;  
Verte iterumq; iterumq;, & inanem haurito laborem,  
Sudanti merces, quamuis sterile est solum opusq;.

Debetur:



Debetur: neq; enim ora boui, uel aratra caballo  
Constringas, neruis sudanti & robore toto,  
Quamuis fortis equus conatum lusit inanem.

Trade cui ingenium fœlix, studiijq; coacti  
Haud quaquam, ingeniumq; tenax, ceræue lutœue  
Adsimile, ut capiat quancunq; impresseris artem.  
Principio nullus desit labor, inde disertum  
Vel Cicerone magis scitus præceptor ad unguem  
Formabit, mollis iuuet ut natura docentem.

Ergo superuacuas remoue Malchine querelas,  
Nescis quid ualeat natura, & quantula præbent  
Momentum præcepta. etenim cum prænitet omni  
Illa arti, ut quæ sit uite domina atq; magistra,  
Duxq; adeo, contra naturam talia nasci  
Ingenia obscurum nulli est, quæ corde stupenti  
AEduntur, ueluti brutorum monstra animantum  
Prodigiosa. an non solo hoc, quod mente capaci  
Gignimur, à brutis disiamus? mente capaci  
Quæ careant, quidnam ergo sibi tua murmura poscunt,  
Omnibus in truijs & notas sparsa per urbes?

Psi-tacus auditas discit de promere uoces  
Humanas rabie uentris latrantis adactus.  
Mane salutatum dominam asilit, impiger ultro  
Exposcit potum clarè, pulstemq; cibumq;:  
Quod docuit uenter, uoxq; inculcauit herilis  
Pectore seponit, retinetq; fideliter alto.



Χαίρε cauum prædura fames erocitare coegit  
Coruorum gentem, docuit picamq; loquacem  
Certa uoce salutare, atq; imitari er ora  
Natura renegata, homini sed propria soli.  
Vrsus & ad cantus citharæ, fortisq; caballus  
Bello natus in extremas insurgere plantas  
Suescit, & ad numeros choreas ductare tubarum.  
Deniq; quantumuis stupeat pecus, & malè pectus  
Palpitet, ad quæuis fingas imitanda fidelis,  
Mansuescétq; usu, docile & tractabile fiet.  
Montano gnatum formandum Becceselenus  
Saturni podex, uacuum capit absq; cerebro  
Tradiderat: binos simul alpha & beta per annos  
Inseuisset, ut ad stiuan multo aptior, atq; ad  
Delicias Musarum esset Cephphus Larus, anno  
Vt demum decimo uix uerba sonare Latina  
Verba Tarentinis cœpit rudibúsq; Sicanis,  
Damnabat studium doctoris Becceselenus,  
Non stupidi uitium ingenij reputans, in har anam  
Extemplo longè in peiorem abduxit asellum  
Cumanum, bipedem fungúm; auremq; Bat auam,  
Blennus homo uinum eructans noctesq; diesq;.  
Hæc sunt quæ pensant pro sedulitate parentes  
Præmia limphati, & crassa caligine cæci.

Praxilles zeno Pupillum audiuerat olim  
Orbilium, dederátq; operam non prorsus inanem

Plagoso, bonus ingenio, bonus indole, donec  
Imperio illius rigido pareret, ut autem  
Post simul effectus plenis maturior annis  
Sacrificus, capitiq; simul consuescere Gallis  
Insulsis, tantum sapientibus omnibus horis,  
Quantum beta, meis quæ nascitur insipida hirtis.  
Qui caperent, aut quæta Bagas, quæta aut Terebinthus  
Hic, de quo dixi, Praxilles simius exlex  
Continuare dies totos occæpit & horas  
Potando ualidus nocturnas: ludere talis  
Strenuus, & mores cynicus præstare caninos:  
In cineres patriosq; focos (spectacula puellis)  
Meiere putidulus, malè olentia stercora gypsum  
Ducere parietibus, digitis appinsere cuius  
Auriculas bucca diducta, & iurgia senis  
Dira ciere modis, pugnas, & prælia cruda.  
Tum spirare cauis mendacia follibus audax  
(Turpe id sacrificio) capitalia spargere uanus  
Crimina in Orbilium sine fronte & pectore scurra.  
Per iugulum reuocare eadem prostratus humi sus.  
Nullum inerat dentale homini: ergo urgere rapinis  
Audebat præceptorem, atq; inceßere furtis.  
Mens praua atq; animus faciesq; cadaueris instar  
Eset ut ex imis si excitus adusq; sepulchris,  
Pallida deformi macie rarisq; capillis.  
Quinctiã charos exclusus sæpe parentes

Infestare



Infestare, nec irati trepidare tonantis  
Fulmina, qui mulctat diris immania poenis,  
Impia iugeribus Tityi pendenda, rotisq;  
Ixionis. num par crimen leue credere quenquam,  
Damna dedisse illi, uitam ex quo acceperis? & cui  
Quod sapias referas acceptum? dum superat lux?  
Grande nefas, dignum corio bouis & maris alto.

Maxmini Caligæ piscis magniq; maliq;  
Nulliusq; nepos AEgyptia clemmatis, annos  
Vt quinos studijs operam nauasset inanem,  
(A teneris, pupis, cultu mage quàm Musarum  
Gaudebat uiuis) nunquàm bene pensa Cratino  
Reddiderat: simulac tandem dulcedine captus  
Pieridum, de se meliorem ostenderet ipsi  
Spem præceptoris, studijs qui semper iniquus  
Maxminus fuerat totus cutis arida & ossa  
Atq; strigosus equus, Mycones caput, ilicet ipsum  
(Turpe) per inuidiam, testantem magna nepotem  
Numina submouit studijs, ratus esse Cratini  
A se patratum, quod cordi animoq; doleret,  
Cum tantum messi decederet: haud reputabat  
In caput authoris præuè consulta relabi.  
Nonne corymbi fero uulgò exagitamur iacho,  
Quod propter uilem, præter mala præmia, nummū  
Hostiles inimicitias & triste duellum  
Suscipimus? quare perit omnis temporis acti



Gratia? quid mirum? stulti insanimus, honesti  
Et turpis ratio nulla, aut discrimina constant.  
Ecce stipem exiguam poscit nummumq; Palemon  
E more, & patria pro consuetudine de me  
Ponendam: exclamo valeat mendicus agaso  
Cui nuper drachmam rescripsi, grande mineral.  
Et serro, utriusq; meis subpalpor, at ipse  
sum tibi Suffenus, solus uideor sapere & mi  
Nasutus, tantum nolo numerare trimestri  
Pro mercede tibi, quantum uox unius horæ  
Momenti faciat spatium mea. ita hac licet in re  
Et recti ratio menti & natura repugnet  
Iudicio nostro: prudensq; sciensq; laboro  
Affectus diuersa sequi tamen: euge poëta.

Turpiter hic fateor me noxam admittere, si nec  
Naturæ egredier, cum peccet filius in me  
Aut præceptorem, tum impingi uerbera nolo.  
Nec tamen admitto medicum Podalirion. ecce  
Inflixit nostro uerber plagasq; Palemon  
Plagosus Baso, cui ceu canis. Appula linguam  
Exertam sticiens à tergo obiecerat: tergo  
Non una dignus cruce erat mens. attamen hic plus  
Me rapuit storge præpostera, quam rationis  
Regula, nam stultis, indulsi affectibus, odi  
Doctorem, exprobrans humilem sortemq; malignam  
Emoni studiis gnatum. quid multa? rudenti

Affixi & scalmis, proretam aliquando parenti.

Outinam Alcida lata mihi seria fronte  
Argenti, & medico creperet grauis urceus horto,  
Canicièsq; simul capiti mentoq; senili  
Floreret, curanda forent mihi limina ne quid  
Craſorum, flocciq; adeo pendenda canina  
Litera, nominibus medio ſpectanda theatro  
Plebs ingrata ſuo ſtareſ depiſta colore.  
Ecquod Cauſaſij Heniochi probrum: ecquod Amyclis  
Dedecus in tacitis par: mendicabula quam quod,  
Vt bene formaris gnatos, opprobria mille  
Lædorias totidem referant: ut Pumilus olim  
Theſtes fecit: cuius duo pignora poſtquam  
Imbuerat celebrer nulla mercede Palæmon,  
In formatorem planis conuitia cœpit  
Follibus in triuijs ſpirare ingentia monſtrum,  
Fur idem, & furti celator, peſtus & altum  
Deformis gibbo dorſum porcellus Acarnan:  
Quem Xantiſſa ſubin coniunx reptare Cacum cen  
Infamem furto pedibus conſuevit, & atra  
Contuſum pugnis duris includere corte.

Deterius non paulo eſt ac deformius illud,  
Omnes cum cupiant noſſe, atqui ubi iam ſtudiorum  
Emenſi curſus cedunt, ludumq; relinquunt,  
Vt canis è Nilo, poti fugiuntq; ſalute  
Iudicia, extremum pretium diſſoluere nolunt



Pleriq̄, aut agrè, quæcis sancta peritia legum  
Terrorem incutit, impellitue notæ metus aut quos:  
Cum tria causidicus pro charo ferret amico  
Verba foro uixdum gratis, nisi splendeat aurum.  
Prolatum è Loculis præsens, quantum bonus anno  
Formator toto non demetit in triuiali  
Quantumuis fame rugiat os & uenter, arana.  
Ut taceam, quod non secum fastidia proni  
Expendant, eadem ut iugulet repetita docentes  
Brassica, non curas, nec olea, grauesq̄; legenti  
Pedores, olido quibus inficiuntur ouili.

Dic sodes, Macco crepidam si sutor iniquo  
Venderet, aut mercem uenalem quamlibet ære,  
Et fugeret Maccus nondum pretio resolutio  
Impostor, dignus quo supplicio foret: inquis  
Ius & iudicium sunt: furti reus, atq̄;  
Arguitur fraudis prauæ. mercede docentem  
At qui defraudet, minus est fur, quàm ille celebris?  
Quid mihi respondes? non arbitror: amplius immo  
Hoc, quo Palladiæ Persarum Arabūq̄; talenta  
Exuperant merces, animi quo corpora claræ  
Nobilitate sua uincunt mortalia dotes.  
Ergo lege pari multandos iure fateris.

Est hominū fatuū quoddā genus, hoc mage qui sunt  
Et satyra digni, & morsu dentalis, eò quod  
Iudicij sani filo normaq̄; carentes



Sectentur suasus aliorum, & splendida uerba  
 Qui extenuant præceptoris nomenq; decusq;  
 Et famam & plausus uiolant, mendacia mille  
 Mille artes commentando uehemente parentes  
 Impete eò inducunt blittos, ne chara relinquunt  
 Pignora doctori, spirat noua dogmata: carne  
 Porcina, atq; atris uescuntur panibus: idem  
 Non donat puero uictori crustula: porro  
 Luditur hic crabro: nihil illic discitur: isthic  
 Pusto membra tener tabulatis podice nudo  
 Seditat infœlix, aut non deducit in altos  
 Præceptor montes pubem, ne calceus, aut ne  
 Rumpantur tunica præsens cauturus ocellis.  
 Hoc uescum, hoc dulce est nimium: sapit hic olus omne  
 Allia serpillio & cepis graue olentia multis.  
 Creditur in numerum, à blætis crassisq; Batauis.  
 Qui nihil expendunt sincerus amicus an hostis  
 Detulit hæc, uerum is magnum quia nomen in urbe  
 Obtinet, è quercu, aut antro ceu dicta Sibylla  
 Creduntur, quod delator sit uertice raso,  
 Et capite obstipo numen terrestre popello.

Mallardum ad cœnam prædulces inter amicos  
 Linguacem immodicè ac mordacem, at cætera surdum,  
 Exceptit rhetor Fuscus. simulatq; meracum  
 Sensit in ima læui præcordia serpere lapsu,  
 Elinguis nuper cynicus carbone disertus

Cuncta notare atro nullo discrimine coepit.  
Illius in crepidas, huius caput haud bene rasius.  
Inq; togam nimium lauta ferrugine pexam.  
In summa, ad mensas promisit multa secundas  
Se fore pergratum Fusco, neq; munus amici  
Passurum frustra positum in se. ergo ille ubi iam mox  
Rettulit in patriam uestigia, seuus amicum  
Et bene demeritum de se traduxit ubiq;  
Immemor hospitij, iuris, mensaq; iouisq;  
Perpulit è crassa permultos plebe iuuentam  
Extemplo ad patrios præceps reuocare penates.

Sed tamen ut Zeno Praxilles, Becceselenus,  
Mallardus caueant, & turba ingrata parentum,  
Ne dicas quondam diuine inscitia legis  
Incutiat poenas ipsis: Rhadamanthus ahenis  
Castigat loris ingrata, & uerbere seuo  
Insonat Alecto, ac putei conduntur in imo  
Sub folio Ditis, barathriq; uoragine cæci.  
Terra parens nullum magis execrabile monstrum  
Ingrato, non Centauros, Scyllasue triformes  
Produxit, quem dii, manesq; odere profundi  
Typhonem peius tristiciq; odere Megera.

1550. SATYRA OCTAVA.

**E**xprimat in tabula ridentem pictor Appellas  
Cyprin, & exurgat sutor tellure parente,



Aut satus anguinis portentum dentibus, is quæ  
Prædulcem illius gaudet reprehendere cestum,  
Nonne Canobicus hunc dicas disperdat Ostris  
Et iubeas ultra crepidam decoctâq; terga  
Non sapere & formas: aut restim carpere tristem  
Intolerabilius nihil est, si sus malus aut bos  
Parrhasius uirgam censuris uindictet, atque  
Audeat emeritis præfigere uatibus atrum  
Carbonem, sine nari acri, sine pectore falso,  
Nil non conuellens, nemo faciat satis & cui.

Est hominum quoddam genus insanabile succo  
Ellebori, cæca carpendi peste laborans  
Vrendiq; notas demente libidine scriptis  
Authorum, iecur insanum queis pruriat, & quos  
Laudati studij nimis inflat opinio de se,  
Audaces meditari aliquid feliciter hand snt.  
Hos decus ad famæ cum subdat calcar inanis  
Gloria, cura subit nomen durable pudendis  
Artibus una parare: uelut delubra Dianæ  
Qui magnæ audebat Vulcano excindere, summo  
Inuito Ioue contempta Nemest furiisq;.

Scribit hic en sat yram mordacem liber aceto,  
Nec parcit cuiquàm, mutato nomine, ut est lex.  
Est aliquis uitii malè conscius, ut puta adulter,  
Fur malus, aut mediam grassator nocte per urbem  
Lurco, aut indulget, qui clarum ad mane falerno.



Cum calidum atq; faces subdat parasitus obustas.

Multo suavius hoc, visu & maiore uehendum,  
Grande sopnos quoties ebullit pectore Momus,  
Momus apud superos notus probè & infera Ditis  
Concaua, bucca cui scabie atq; tumentibus udis  
Verrucis horret deformis, obustaq; naso  
Nodoso, nulli qui se putet esse secundum,  
Ardelio magnus. quid enim: nasutus henorches  
Cum legit editam opus rarum, quod olere lucernam  
Posit Aristophanis, puteumq; oleumq; Cleantis,  
Se componit (ut est, & uult audire libenter  
Persius alter, homo bellus, gurgèsq; meraci.)  
Ut nomen præstet uel re, quod dicitur, infit  
Schemata in antithesi suspendere, carmina sensum  
In quem torqueri possent, quæ allusio lenam  
In partem rapiet, studiose expendit ad unguem.  
Præterit hunc uersus uix è tot millibus unus,  
Rite decussatum quin margine sentiat unguem  
Pollicis, aut seuo percat crudele neruto.  
Quid Momus censor inisi quod cornicula plamis  
Venerit sese, quanta est, à calcibus imis,  
Mularum uolucrum, capitix uel adusq; supremum.  
Non sapit hoc sanum: re ipsa discedere parteis  
Arguit in leuis: secus & uariantia prodit.  
Quidnam igitur faciam: narrabimus ordine eodem,  
Atq; illis eadem: quos uel sectaris, & ante

Multo

Molto eadē cecinere, operam sterilem, atq; laborem  
Ridiculum sumas? quid? si quid uerius, atq;  
splendidius cudas? interstinctumq; figuris?  
(Proposita in medio est sua cuiq; gloria palma)  
Ergōne Cirrhæa tu defraudabere lauro?  
Atq; adeo non est, qui scriptor tractat eandem  
Materiam, uariet quin ulla in parte uel addat,  
Aut aliquid demat, que cunctis iusta facultas.  
Quod Patris incidit Pentheus uincta Lyzi,  
Dicitur Eumenidum stimulis agitatus & æstro  
Vertisse in sese uiolati numinis iram.  
Is quas non furias, quas non is Erinnyes in se  
Aduocet, eloquium, & princeps facundia Tullii  
Cui putet sordetq; in eo ingentosus haberi &  
Carpendo studeat: quod dictio pura boatum  
In tragicum nusquam aburgat, spiratq; Sophocleus:  
Est cui ridiculus nimis est orator, & alter  
Plus grauitatis in hoc, aut plus desiderat artis.  
Nec suus Andino Bauus, neq; Mæuus usquam  
Vergilio, rabidumq; canum turba emula uati  
Defuit, ut magno non mastix acris Homero  
Zoilus, idem aspro qui exercuit ore Platonem.  
Et Phœbo diuinus inest furor atq; flagellum.  
Zoilus effrenem ob linguam sublimis in alto  
Persoluit pœnas scopulo dentemq; petulcum,  
Rhetoricus canis, ut quondam de rupe Prometheus,



Heu male foelici suspensus ab arbore cessit.  
Ledere cum cuperet, nulla ratione ualebat,  
Ridiculus, iuxta & fame uerbero perditus, annos  
Cum plus mille suo monumento aluisset Homerus,  
Rhetoras innumeros, multo excellentior illo  
(Ipse ferebat uti) uentrem saturare nequibat  
Arte sua ipse suum, uel fortiter esurientem.

Tale hominū hoc genus est, de quo loquor, abdita cū sit  
Musica, delectat nullum, simulatq; canorum  
Cygneūq; melos tentent modularier, aha  
Rancidulum strident balbo de pectore carmen.  
Indice proiecto monstrantur in urbibus, ὄντο  
ἴσιν ἐκείνοι, qui cornicum lumina figunt.

Porro in praeceptis per magna licentia uulgo est.  
In primis Momo, qui, quanto ego doctius ista, &  
Scripsissem melius: saperdas ista, ait, aspras  
Et scambros poscunt, thus intortōsq; cuculos:  
Maximè ubi ambusta spirat de nare falernum  
Emuncta, inuersoq; crepant in pollice masti.

Mittatur Momus, pubem qui formet ad unguem  
Vnus, & instituat doctas Helicone sorores.  
Hunc tolerat nemo, cui in totum abolere poēma  
Mens stat Mantoum facundāq; pectora Liui:  
Quod conatum aliquando ferunt patrare Neronem.  
Quare id ne fieret, liquere cubilia dirae  
Inferae, & ultrices umbræ sumpsere cruenta

Supplicia, immissa à Phœbo castâq; Minerua,  
Destolido ac sternace Mida, qui clara boatu  
Terribili infrendens totum conterruit orbem.  
Tempora nostra, quibus permagna licentia bardis  
Hemionis, humileis multos, ut Becceselenos  
Nouere insulsos, crassis qui affectibus ausi  
Indulgere suis, aliorum albore lapillos  
Conspicuos atro damnant carbone, perinde  
Ac si ab ijs totus penderet naufragus orbis.  
Dic mihi iudicium emunctum, ecquod Becceselene  
Iudicium de me nostrisq; laboribus? ecquod?  
Ille uehit: contra hic infesto exhibilat ore.  
At mihi dic, tuus est quis amabo calculus? audi,  
Vnus amicorum es, quid dissimulare necesse est?  
O utinam magno in numerum exemplaria possem  
Omnia presenti & mercarier ære, foret mi  
Consilium dare Mulcibero, & delere camino.  
Quid meruere mali non noxia pignora? si quid  
Peccatum est, quin tu ius iudiciumq; libellis  
Intentas? fateor uerum, haud intelligo: quare  
Cum tria cola mihi uix sint perlecta, magistris  
Credimus hirsutis frontem intonsisq; capillos,  
Qui conuiuuarum cum multo ad pocula plausu  
Perfusi nuper sic narrauere Lyæo.  
Tu mihi dic sodes, si quis reus actus, in imum  
Iudice te missus barathrum descendat, & idem



Indicta causa præceptis ageretur in altum  
 Damnatuſ capitis, teſtatuſ numen Olympi  
 Inſœlix tignum: uel ſi ſis arbiter, inter  
 Actorem atq; reum, dirimas quo iurgia, ſi non  
 Cognita cauſa tibi prorsuſ foret, atq; ſecares  
 Controuerſa, mihi dic obſecro, quiſ fatuuſ te,  
 Iudiciuſq; haſtãq; tuam dignam ære Perilli  
 Aut teſtiſ ferret: leuiuſ peccarier hac re  
 Cenſenduſ: imò etiam grauiuſ, quod numine diuũ  
 Lebetridum, irrepant propiora pericula, laſo.  
 Ad ſummum ſapiens præſtantem hunc iudicat, æ qua  
 Mente uirum, per ſe, & qui citra rite magiſtrum  
 Perſpiciat cauſas rerum, finẽſq; bonorum.  
 Proximuſ inde Loco eſt ponenduſ iure ſecundo,  
 Qui nihil inueniat per ſe, ſed recta monenti  
 Pareat: aſt qui nec ſapiat, neq; præbeat aures,  
 Rebuſ in humaniſ, iſ prorsuſ inutiliſ eſt uir.  
 Contra inſtultitiã eſt: minus iſ nam ſtultuſ habetur,  
 Cui nihil in mentem ueniat, quã qui approbat ipſum,  
 Quod ſtultic alteriuſ cadit in præcordia dictum,  
 Vel factum, & bucca fatuẽ aſſentiuſ hiulca.  
 At qui multa ſuo pluteum redolentiã caſum  
 Ingenio cudit, ſumma eſt ponenduſ in arce.  
 Proximuſ huic ille eſt, qui rerum haud lectuſ iniquuſ  
 Scripta pharetratum trutinat ſpirantiã phœbum  
 Iudicio exacto. uerum huic quid feceris: unguẽiſ

Qui neq; subrodant praeclara mente seniores,  
Nec uult iudicio alterius parere salubri?  
Adde, nec authorum dignatur non modo factus  
Inspicere, insipidus beta farua magis, uerum  
De nondum uisis audet proferre lapillos  
Immites, & cappa atrum demittere in urnam.

Certamen rarum est, pariter laudabile Musis,  
Quod nulli inuideat, sed calcas subdat honestos  
Virtutum ad numeros, laudumq; arrepta cupido.  
Quod si quis studiis demat uesanus honestis,  
Otia corrumpent sanas & inertia mentes.  
Hinc nihil inuidia, nulla obrectatio famae, aut  
Liuor Cerbereis non nuper obortus ab undis,  
Sed bene desudat summo super addere nisi  
Inuentis aliorum aliquid, quod publicitus sit  
Vtile, quod laudem secum trahat usq; perennem.  
Hoc primam extimulat post alpha & beta iuuentam,  
Urget & ad palmam facundos rhetoras acreis  
Crudo in Marte uiros uirtutum ad praemia laeta  
Suscitat: in summa, sine quo intepet amula uirtus.

Hoc ego me memini primaeuo flore iuuentae  
Quinteriū, multosq; alios superare sodales.  
Hiis iisdem rursus uictum me, & porrigere herbam.

Ne faciam longum, & redeat stylus, excidit unde,  
Temporibus nostris his cum cariota uetustas  
Ingeniis cedat, nullo contra optima saeculo



Seu ijt inuidia & maior, pluresq; Theones:  
Inuidia, ignis uti, non ima, sed ardua semper,  
Atq; Iouis petit alta palatia. pignora Terre  
Hanc nunquam metuunt, cur uita quietior est: &  
Mollior, ut degant Milesia tempora fama  
Irrita. seruire est, obiectam quamlibet offam, ac  
Quodlibet os cynicis immittere dentibus, ut sic  
Prostituunt frontem, recto discrimine honesti  
Et turpis posito. qui opprobria latrat amara, est  
Dignus, qui timeat barathrum, putealq; Lybonis.  
Sic Cynofargos eat, quantumuis nobilis ille  
Esse uolet, Terræue satus, fraterq; Gigantum,  
Atq; is, qui in claros authorum ludere gestit  
Elucubratos tum cura tum arte labores,  
Putribus à populo meruit lapidariet ouis.

F I N I S.

# LAMBERTI HOR- TENSII EPITHALA-

*miorum Libellus.*

**C**Vm deus eterno sociaret foedere cuncta  
Axē sub æthereo, quæ sunt animantia, lege  
Perpetua iussit diffundere semina, terras  
Complerent uacuas cœlūmq; lacūsq; profundos,  
Tunc hominem extræmum diuino semine ab atræ  
Finxit humo, iussitq; in humum post fata redire.  
Quæ fecit bonus ut uidit bona cuncta Prometheus,  
Vnum displicuit, sine coniuge uiuere solum.  
Efficiamus, ait, similem sociamq; iugalem,  
Vt sobolem longum foecunda prole propaget.  
Hactenus æterna id seruarunt lege per orbem,  
Hoc proauī nostriq; atauī nostriq; parentes.  
Omnes comuni hoc naturæ foedere nasci  
Omnipotens iussit, neq; rerum hic uertitur Ordo.  
Ecce diu nucibus iussisti sponse relictis,  
Ducta est sponsa domum soboli puerisq; creandis,  
Tu quoq; nunc operam dabis ut stirps pulchra supersit,  
Quæ genus innumeros uestrum propaget in annos.  
Deiopæa tibi parta est formosa, neq; ista  
Nata Gigantæo de semine, blanda iuuentæ



Flore uirens, prudens, proba, tum spectata pudore.  
Ore uerecundo Pandoram, in quam sua dona  
Numina certatim pulcherrima magna tulere.  
Huc accedit item dos ampla, pecunia grandis,  
Que bona summa putant homines sortemq; beatam:  
Corripies mediam non tantum hanc corpore, toto  
Pectore quinetiam, nam animi pars dimidium ipsa est.  
Sibus ista meis sublata est foemina dixit  
Primus homo, & nostra caro sumpta ex carne, uirago  
Vnde uocata fuit. hanc nullus amicus, amorq;  
Nullius, affinis nullus, certamina nulla  
Segreget abs te unquam, nisi mors, quae linea uita est.  
Hanc propter relinquet homo matremq; patremq;  
Coniugi adhaerescet: sic est deus ore loquutus.  
Ipsa dolore tibi producit pignora partu.  
At tu sudabis tu, scindes uomere terram,  
Semina tu mandabis humo, tu occabis, & idem  
Mox letas segetes proscindes falce colonus.  
Haec est, quam scriptura canit crux dura cubili  
Coniugioq; theroq; sacro tædeq; iugali.  
Tu quoq; ut in pectus surgas fac sponse paternum  
Vtq; renata in te patris sapientia crescat.  
Vt quondam magnumq; uirum respub. cernat.  
Nomina maiorum quod si obscuraueris, illud  
Et decus & laus est & gloria summa parentum.  
Sit praecor hic foelix faustusq; bonusq; hymeneus,

sit sine

Sit sine lite thorus, multos duretq; per annos,  
Diuite prole beet rerum dator atq; bonorum.

I I.

Qvod legis huc missum carmē tibi spōse, hymenēū  
Gratatur, thalamis omnia fertq; tuis.

Hoc magnum est, paritq; tibi exoptabile, faustis *per /*  
Auspiciis coeant fœdera coniugii.

Scilicet hoc uite prudens genus eligis, æuo,  
Vitas, quæ in uiridi ferre iuuenta solet.

Deligit hic sacrum lauta otia, pinguia captans  
Fercula, prætextu religionis homo.

Et præfert se alijs, ut equis qui præuolat albis  
Omne hominum in terris celsus honore genus.

Rursum alijs cristas tollunt de cælibe uita,  
Ut qui præ cunctis præmia magna ferant.

Si reputes contra authorem tempusq; locumq;  
Tæda ubi, connubij sit quoq; iuncta fides.

Ilicet inuenies postquam deus omnia uerbo  
Condidit, uxorem concopulasse uiro.

Non bona res solum esse hominem, deus optimus inquit  
Suprà infrâq; polum cum bona cuncta forent.

Ergo relinquet homo fratres matremq; patremq;  
Seruet ut uxori religionis fidem,

Quam nisi pallida mors, non ulla pericula rumpent.

Quare quo uiuas suauiter atq; piè.



Hæc tu cum sponsa præcepta salubria condas  
Pectoribus, uotis utile credo fore id.  
Idem animus, mens una siet, sententia concors,  
Quod cupit hic toto pectore & alter amet.  
Si leuis aspires rixæ commota procella  
Maturè hanc blandus sedet ab ore sonus.  
Sed nihil æque animos iungit, iunctosq; reuincit,  
Ac cræbi amplexus, oscula cræbra uelut.  
Et firmat seruâtq; thorum si paruus in aula  
Luserit intra annum, qui ferat ore patrem.  
Quid tibi fœlici poterat natura dedisse  
Præterquam dederit, si modo nosse uelis.  
Ægregiam forma sponsam roburq; uirile,  
Diuitias & opes, integra membra simul.  
Et genus, & dulces inter quos uiuis amicos,  
Nunc iuuenem uxorem persimilemq; deæ.  
Ætatis flore in uiridi, tum corpore toto  
Præstantem. fœlix, si tua pensa uides.  
Hactenus æquales inter luisse sat esto.  
Deinceps sparge nuces, linque marite nuces.  
Maturum induito ingenium, tua sponsa maritum  
Te faciet, faciet te quôq; prole patrem.  
Hæc si animo reputes & uoluas pectore toto,  
Et uiues fœlix, rarus eritq; dolor.

I I I.

**S**parge marite nuces olim Iuuanne Catullus

Dixit

Dixit iis, quæ est sponsa petenda noua.  
Hoc cecinitq; tibi, tibi enim noua ducitur uxor,  
Vxor amanti pulchra puella suo.  
Ludere enim licuit, præsens dum pertulit ætas,  
Coniugium grauius postulat hocce iugum.  
Scilicet id iussit magni fabricator Olympi,  
Cum daret imparibus fœdera sancta thoris:  
Pane tuo in duro semper uescere labore,  
Tu sobolem paries non bene nata tuam.  
Ergo scopum ut teneas tædarum, hunc accipe finem,  
Officiúmq; libens discite marite tuum.  
Vt mater fiat coniunx tua, túq; maritus,  
Vsq; laborato, sit licet illud onus.  
Sit licet exiguus labor is, sed dulcis, in aula  
Qui referat patrem, ut ludere possit Amor.  
Coniugis assiduo percharæ amplexibus hærens  
Progeniem extendas amplificèsq; tuam.  
Hic finis semper, scopus hic tuus esto, nec inde  
Quisquam diuellat, nec tuus ipse parens.  
Mors nisi fœda tuum hoc, postræma & linea uitæ  
Consiliu auertat discutiátq; tibi.  
Nocte latent menda, est his nox aptissima rebus,  
Sic dulcis ueniat uita trahenda tibi.  
Sæpe solent rixæ iunctas bene rumpere mentes  
Concede uxori, ut pax tibi tuta stet.  
Has si condideris leges humane iugales,



Pectore iucunda est uita trahenda tibi.  
 Nam celebre est dictum, cupias si ducere uitam  
 Tranquillam, uxori cede datôq; tuæ.

## I I I I.

**H**unc bone sponse diem puris signato lapillis  
 Qui illuxit foelix terq; quaterq; tibi.  
 Lux tibi dulcis adest, patrio qua iure uirilis  
 Te toga, quâq; uxor sponsa pudica rapit.  
 Lufisti nucibus satis, has nunc sparge per ampla  
 Atria, nam qui cum ludere detur, adest.  
 Contigit ecce thori socia illibata iugalis,  
 Haud sero, quamuis tardior illa, uenit.  
 Hoc cumulata magis fortune dotibus amplis  
 Parta tibi est, placidis moribus apta tuis.  
 Forma uerecundas solita est laudare puellas,  
 Ingenium simplex, uerba proterua minus,  
 Dos grandis, census ditis patrimonia, amici,  
 Stemma nec obscurum, sed mediocre tamen.  
 Omnia, quam hæc dederit tibi fors bona diuite cornu  
 Aspicias ut plena hæc tradideritq; manu.  
 Id solum restat, monita ut tu hæc nostra capeffas,  
 Pectore sincero quo bene cuncta geras.  
 Quo bene concordi sine rixa secula mente  
 Hanc ducas uitam funus adusq; rogi.  
 Scilicet ut thalamo fiat satis, oscula figas,  
 Amplexu cræbro, quod petit ipse thorus.  
 Ut pulchra & magna foecundes prole puellam,

Conciliare animos & retinere solet.  
Uxori uitium si uel quod inhaeserit, ipsum  
Tollere si nequeas, pectore fertō bono.  
Non temere erratum tenera te coniugis unum  
Offendat leue, cur cuncta mouenda putes.  
Non sapit hic tantum, quantum uir, sexus, abuti  
Imperio noli, sed sua frēna dato.  
Tempore conueniunt non omnia dicier omni,  
Verum obseruanda est aptior hora tibi.  
Cum furor & bilis descauit atra, monebis  
Blandus ad obsequium & tum reuocare stude.  
Tunc etiam ad dulcis Venerisq; redibis amores,  
Abdatur molli grata palestra thoro.  
Donec te hoc fateare iacens certamine uictum,  
Et cedas herbam sponte uolensq; tua.  
Hæc mea si obserues sponse o præcepta, futurum est  
Haud pigeat monitis te paruissē meis.  
Hæc tibi dum recino, charo recinóq; parenti,  
Omnibus hæc cauto, queis hymenæo places.  
Ista solent tenues etiam ditare penates,  
Lis ueluti magnas uertere sueuit opes.  
Basta da uxori, cum passere mille, Catulli  
Sed moderare tamen, Lysimeles Amor est.

V.

**H**Actenus es seui Mauortis castra sequutus,  
Sunt noua sponse at nunc castra sequenda tibi,



Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,  
Carminibus cecinit Naso poëta suis.  
Nam meret, & gladios hastas & gestat uterq;,  
Castra habet & pugnas, prælia uterq; ferit.  
Tela Cupido gerit, pharetrâsq; leucsq; sagittas,  
Conglomeratq; manus miles uterq; suas.  
Tu qui uesani es Mauortis castra sequutus,  
Disce quid interstet inter utrumq; genus.  
Vulnera hoc infligit Martis leuiora cruenti,  
Quæq; dolent animis corporibûsq; minus.  
Si sapias, hæc Veneris, tu & Amoris castra sequeris,  
E quibus eueniant nulla pericla tibi.  
Prælia ut absument Martis, sic uiua Cupido  
Arte sua semper corpora gignit iners.  
Dulcia ne cessa cum uxore laceßere noctes  
Prælia perpetuas, uiue ualeq; diu.

V I.

**H**osce tibi thalamos congrator sponse iugales  
Fœlices in eas auspiciisq; bonis.  
Ipsa Venus, blandæ Charites, puer ipse Cupido,  
Coniungat nodo pectora uestra graui.  
Nactus es ex animo nympham, tu uiuere cum qua  
Annos constituis, quos tibi fata dabunt.  
Disce quibus tractes & ames rationibus istam,  
Quatenus imperio pariat illa tuo.

*Fœmina cum è cerebro non sit, neq; femore nata,*

*Sed cõsta media sumpta parentis Adæ.*

*Est ratio, coniunx ne sit caput ipsa mariti.*

*Nec pedibus rursus subiicienda solo.*

*Imperium studeat uerum moderari er omne,*

*Vt concors pectus inter utrũq; stat.*

*Basta da totidem, quot quondam Naso Corinna*

*Quæ placant rixas consiliantq; animos.*

*Ista iuuat teneras in lectis pugna puellas,*

*Quæ se dant uictas proditione sua.*

*Cetera quid referam, numerosa prole beatas*

*Se clamant, & amant hoc magis atq; uiros.*

*Si sapis ergo, operam dabis, ut tua sponsa quotannis*

*Te puero ditet, quo te adamare queat.*

V I I.

**G**Rator sponse diem hunc album luxisse tibi, quo

*Abiicias fatuas tandem aliquando nuces.*

*Lingue nuces post hac dulces puerilibus annis,*

*Cum qua nunc ludas, Spartula parta tibi est.*

*Desere quæ dudum es Mauortis castra sequutus,*

*Sunt Veneris posthac castra sequenda tibi.*

*Vir mulierq; thoro coniuncti fœdere dulci,*

*Nomina militiæ danto Cupidineæ.*

*Hec sua castra etiam ponit, sua tela globosq;*

*Intensos arcus, praelia, scuta gerit.*



Atq; etiam expugnat uariis assultibus arces,  
 Delicatur scansor, dum petit alta ferox.  
 Vulnera dat, quamuis minus hæc letalia, pugna  
 Vincitur alteruter, lassula membra gerens.  
Es, tamen ut monitus caueas, mihi sponse monendus,  
 Vnum, ut longa manus conglomerare queas.  
 Omnia parce simul pugna nimis acer in una  
 Spicula proiicere, ut prælia post fugias.  
 Ne tua quem de te uelut hostis, sponsa triumphum  
 Mox agat, atq; fugam fortiter obiciat.  
 Vincere foemina uult, & perpes grata puellis  
 Pugna, mihi crede, est, sitq; cruenta licet.  
 Hoc uti me nostri iuuenem docuere parentes  
 Præceptum, accipito consultoq; boni.

VIII.

**D**A pia thura focis, uenit tibi sponse iugalis  
 Ut patrem faciat te tua sponsa, thorus.  
 Quem uelut immundum tu fac contemnere, nolis,  
 Namq; patris sanctum est omnipotentis opus.  
 Hic simul absoluit, quæ cœli machina uasti  
 Continet, atq; aër, quæ mare, quæq; solum.  
 Omnia cum ualde bona & admiranda placerent,  
Vnum displicuit uiuere solum hominem.  
 Non rectum est, inquit, quod homo sine compare solus  
 Viuat, ei socia est cur facienda thori.

His mox

His mox præcepit fœcundo pignore terram  
Complere, ut dirimat quos nisi frigida mors.  
Christus item in Cana diua cum matre sacrauit,  
Prodigio thalamos deficiente mero.  
Deficiente mero lympham mutauit iaccho  
Tristia cum letis miscuit ipse thoro.  
Tristia succedunt lautis, ac dulcibus aspra,  
Tu manibus quæres atq; labore cibum.  
Illa fido at duro pariet tibi pignora partu,  
Sudor id est ingens difficilisq; labor.  
Ergo tuam tenero deinceps adamabis amore  
Ut linquas matrem, deserat illa patrem.  
Mutuus ut duret sine lite amor, oscula miti  
Colloquio misce cræbra datôq; tue.  
Hæc res, crede mihi, concordia fræna tenere  
Et retinere animos inter utrumq; solet.  
Viuitur hac sancte ratione, opulentiæ crescit,  
Et crescunt magnæ, cum neq; credis, opes.  
Viue, uale longum, uesterq; amor ardeat æuo,  
Ingemina sponse basiæ mille tuæ.

I X.

**Q**vando tuis mensam genijs lectumq; parentes  
Sacrabant, & pulchra tibi subtegmina Parcæ  
Albaq; purpureo ducebant stamina fuso,  
Lappie Pieridum mystes Lamberte sacrarum,



Vna sedens multos nitido simul è calathisco,  
Ambrosiis Lachesi fusos depromere palmis  
Leta uidebatur: certas ad singula metas  
Pensa dabat, uel leta parum, uel dulcia prorsus,  
Voluere precipiens. his plenos ducere fusos,  
Contrà, aliis uixdum benè coeptum abrumpere filum,  
Cum tandem roseo depromeret è calathisco,  
Quem Lachesi pronò tradebat pollice fusum,  
Hæc age foelici deducito stamina tractu,  
Inquit, & aurato surgat subtegmine uellus.  
Sponte sua procedat opus, sint aurea pensa,  
Aureus & tumeat lanarum pondere fusus.  
Nec temere incidas rumpantur tarda, sed agrè.  
Hic Lambertus erit quondam mihi Lappius, hic qui  
Pegaseum teneris carmen modulabitur annis  
Cygneus Aonidum resonabit arundine cantus.  
Ore sonos dulces dabit, addet Græca Latinis,  
Ille Helicone sacras primis adamabit ab annis  
Thespiadas, sed ad hæc diuinæ oracula legis  
Pura leget, fontem quæret, riuosq; minores  
Negliget, epota diuini gurgitis unda.  
Candida foelici deducito stamina tractu,  
Inde uerecundæ hunc certatim adamare puellæ  
Incipient, amplòsq; dabo castòsq; hymenæos.  
Pronuba non deerit tædis: tenerã ipsa puellam  
Ipsa thoro præsens Agnen sociabo iugali.

Candida foelici deducito stamina tractu.

Coniugium infaustum nec erit, uerum Hercule dextro  
Auspiciis auibusq; bonis foelixq; coibit.

Candida foelici deducito stamina tractu.

Huius qui thalamos celebrabit carmine primus,

Mox aderit uates, quod caedro & Apolline dignum.

Ad sacra Pieridum ferri dabo, proinde fidelis

Candida foelici deducito stamina tractu.

Sic ait, & plenis manibus dat pensa sorori.

Dulcia pensa trahit Lachests, fususq; tumescit

Vltra quam satis est, remorantur tedia nulla.

Prona rotat, succrescit opus tollitq; laborem

Mollis lana grauem, cornicis saecula surgunt.

Iamq; uagae properant cunabula prima iuuenta.

Ludere cum paribus paruisq; sodalibus optat,

Quae auspiciis elapsa bonis maioribus ipsum

Applicuit: quarenda ergo est iam scita puella,

Quae ditet foecunda uirum faciatq; parentem, &

Ampla dote beet, parcarum ut stamina currant.

Dotibus eximia & praestanti fronte puella

Inuenta est, opibusq; potens et stemmate pulchro

Lamberti copulanda thoro florentibus annis.

Qualis ab Hesperio sublustri luce coruscat

Aequore fraterna rutilans face Cinthia acutis

Cornibus, & crocea lucet nitidaq; iuuenta.

Talis in amplexus maturo nubilis aeo

Candida



Candida molliculos Lamberto nympha lacertos  
Puniceas rubicunda genas frontemq; modesta  
Iungetur fatis fiat satis ut Parcarum.

At nunc abiectis nuces puerilibus acres  
Maturósq; decet posthac assumere mores,  
Sparge nuces propere puerisq; relinq; pusillis.  
Non tibi iam nucibus, sed adulta atate puella  
Ludendū est, ueluti nostri fecere parentes.  
Nunc sapere est patruos: pueros spreuere puella,  
Paruulus ut ludat patria Lambertus in aula  
Danda opera est, quæ res lasciuus grata puellis:  
Conciliat retinetq; novos & uincit amores,  
Sparge nuces propere puerisq; relinque pusillis.

Illā sedet uultum tacitè demissa, nec audet  
Ore uerecundo cœlum spectare nec auras  
Virgineam metuens zonam dissoluier abs te.  
Sparge nuces propere:

Flaua comas lacrymat, percandida colla nitentes,  
Quo sponso placeat, mater iam pectora uincit.  
Componitq; humeros, turgentiaq; ubera stringit.  
Tania barbaricis discriminat aurea uittis  
Scita comas, tegiturq; auro squallente teristro.  
Gemmea de tereti pendentiq; monilia collo,  
Et roseis redimita caput permolle corollis.  
Progreditur defixa gerens sua lumina terra,  
Ut quondam Idaliæ præcelsa rupe Dione

Leta choro medio sese mouet ardua lentis  
Passibus, & tacito subridet pectore: sed tu  
Sparge nuces propere:

Pande fores thalami, iam aderit noua nupta marite  
Basta mille tibi, totidem altera nocte datura est,  
Questi tot dederit, pueri iam excusseris annos,  
Excute poste seram, foribus noua nupta propinquat,  
Quanta puellarum sponsam comitata caterua  
Subsequitur? qui uinctus Hymen sua tempora fertis?  
Nymphocomus claram præcedit lampada quassans.  
Dislice poste seram, foribus noua nupta propinquat.

Sparge rosas genio, laribus suspende corollas.  
Rore solum & mirto bene olenti insterne marino.  
Cinnama spiret humus, gratòq; opobalsama flatu.  
Thus & ab Attaliciis quicquid transmittitur oris,  
Quicquid Arabs, quicquid uel ab orbe remota Malachi  
Huc uehit, id thalamus fragranti spiret odore.  
Vestibulum in primis ueletur fronde uirenti.

Cumq; choro Charitum en Himerus sequiturq; Cupido,  
A tergo exultans facibus lucentibus: beus tu  
Vellito poste seram, foribus noua nupta propinquat.

Ecce uenit trepidè, quo pulstet ostia rhopetro,  
Prodromus, & cessas? quin ianitor ostia pandis?  
Tollite poste seram, foribus noua nupta propinquat.

Ingreditur thalamum: qualis cum lucifer ortu  
Heliaco tetrus nimbis fugientibus, alto



Fulgidus oceano surgit graditurq; per aethra.

Nunc Agnes tadas letus celebrato iugales.

Nunc dape multiplici constructa accumbere mensa  
Tempus adest: qua sublata, indulgeto palaestra.

Veridica interea formabant pensa sorores,  
Vna colum gestans digitis trahit è calathisco

Virgato roseis librandum turbine fufum  
Dat Lachesi, & uersu canit isthac fata sorori.

Chara soror tereti torqueto pollice lana hac,  
Mollia, quæ Tyrium contemnant uellera filum.

Splendor hic eximius fiet uirtutibus auctus.

O decus egregium puer ô clarissime quondam.  
Nomen aui referes, nomen referesue paternum.

Pollice non segnis deducito stamina pronò.

Accipe chara soror quæ carmine pando fideli  
Veridicum oraculum, quod nullum obliteret æuum.

Pollice non segnis deducito uellera pronò.

Ingenio præstans teneris pollebit in annis,  
Paruus adhuc quando paribus colludere posset  
Imperfecta sonans lallare elementa studebit.

Sit licet ingenio præcox adolescere fausto  
sidere nostra tamen donabunt uellera longum.

Pollice non segnis:

Ludus nullus erit quem non ardebit adire,  
Ille mathematicas nullo præeunte magistro  
Artes percipiet linguasq; ardebit amœnas.

Vt qui

Vt qui nauta diu iactatus in æquore vasto est,  
Hunc uia nulla a maris fugit: hunc nemo obuius ibit.  
Sic illi haud temere in studijs se conferet alter.  
Pollice non segnīs  
Dixerat, illa rotat non impigra turbine fusum.

X

**F** Vnde preces Veneri, funde et pia uota quotannis,  
Ponitur à dulci coniuge acerra tibi.  
Thure pio sacras in qua libabis ad aras  
Sponse Cupidineo non bene suete iugo.  
Hec ad sacra uoca, tu quos tibi ducis amicos.  
Inter præcipuos, uir mulierue stet.  
Parua coronatum myrto lucentia quassans  
Lumina præcedat turba gregemq; trahens.  
Agnæ cadat iugulum ferro percussa trementem,  
Fœlici ut tædas alite inire queas.  
Pronuba suffitum thalamis ibi Iuno ministret,  
Omnis odorato gramine spiret humus.  
Ille tuus quondam lectum bene olentibus herbis  
Vermereus insternat, qui comes alter erat.  
Cum stat acerra tibi (hoc ex me nunc discere) parata,  
Parcius in dulci fundito thura foco.  
Nam macer es nimium, nimium si thuris acerræ  
Coniugis indideris, quid nisi uita breuis?  
Vita breuis laxa cute te et festina senectus



Accersita manet, tempora & ante, rogas.  
Posthuma ne quando tua tristia funera proles  
Defleat, hinc prudens indito thura foco,  
Ut thus æthereis res est gratissima diuis,  
Sic adamant nympha dulcia thura uiri.  
Thuribulumq; caue quondam experiatur inane,  
Sic semper sponse gratior hospes eris.  
Qui uacuis manibus uenit, haud est gratus, ad aras,  
Ara domi est, ad quam, tu caue, inanis eat.  
Ni tibi pro risu & pro blanda fronte, superba,  
Si nihil attuleris, ora uidere uelis.  
Mitior ingenio es tu, contra illa acrior, ut pax  
Seruetur, trades imperium omne tuæ.  
Illud uter teneat noli contendere pugnis,  
Nil refert, uter hic uir mulierue regat.  
Viuitur at multo peccatius, uxor ubi una  
Imperium tenet, ac paret ubi illa uiro.  
Quamuis turpe nimis, tamen ut sine lite molesta  
Tranquille uiuas, cede datoq; libens.  
Imperiosum animal scis quam sit foemina, quippe  
Quæ domuit celsos nobilitate uiros.  
Plura monendus eras, sed relliqua docta priorum  
Postera te doceat sponse magistra dies.

X I.

**P**leridum ô mystes dudum, dum prima inuenta  
Vernaret studus hora colenda uage,

Accipe,

Accipe, quam mittit præceptor sponse salutem,  
Accipe Pierii, munera sacra chori.  
Ut tibi tum posui lingue præcepta latina,  
Formaui & mores excoluiq; tuos.  
Sic tibi castorum sim nunc præceptor amorum,  
Coniugii ut doceam iura fidemq; sacri.  
Accipe, quid sponsi sponsæq; uocabula primum  
Esse uelint, dextras iungere, quid uè uolet.  
Nempe fidem sociæ sanctam seruare iugali  
Spondeo: quid spondes? fœdera casta thori.  
Non deserturos uos inter, mors nisi rumpat  
Vincula, quæ nodo non soluenda tenent.  
Hoc data dextra sibi, hoc sibi sponsi & nomina sponse  
Exposcunt, imo id pectore conde tuo.  
Nèue uagos deinceps usquam secteris amores,  
Concubitumue uagum, te data dextra docet.  
Regna panomphæi non affectatur adulter,  
Fœdera qui incaestet numine teste sua.  
Posthabito, uxorem prædulcem, utroq; parente  
Complexu serues, mente adamesq; tuam.  
Quod cupit ipsa, uoles quoq; tu: ipsa aduersa petenti  
Sit nunquam, ut concors hæreat illa tibi.  
Si uideas tristem (nam letis tristia miscent  
Numina) tu nubem discute fronte nigram.  
Fœmina, qui blandis uerbis placatur, & iras  
Ponere sit facilis, nescius esse caue.



Ne sis nescius, ut hinc mutetur in horas,  
Bruma habet, ut constans, perpetuumq; nihil.  
Turpe uiro sexum hunc digito pulsare tenellum.  
Turpe thori sociam ledere uelle suam.  
Gracior est Veneris noctesq; diesq; palaestra  
Atq; Cupidinea praelia facta manu.  
Ne leuis offendant te iniuria coniugis, aut tu  
Tolle malum uitium, uel tolerato tue.  
Basia si dederis, cum passere, mille Catulli,  
Seruat amicitiam conciliatq; subin.  
Effice, praesens ut currat tibi pugio plenis  
Mensibus exactis, te referensue patrem.  
Precepisse sat est, satis est monuisse scientem.  
Exhilara frontem exporrigitoq; tuam.

XII.

**I**Lle ego qui teneram docui Gerbrande iuuentam  
Moribus excultis literulisq; tuam.  
Idem maturo thalamos tectasq; iugales  
Grator, ut auspiciis diis coeantq; bonis.  
Si bene te noui, non aspernabere ne nunc  
Consilium ipse quidem sponse beate meum.  
Vtile consilium, et uite praecepta iugalis  
Mollia, quae sponsae profuerintq; tibi.  
Saepe uagos (quod scis) media de nocte solebas  
Querere concubitus ebrietate grauis.

Nunc si quid ualeas, ualeas si uiribus audax,  
Nactus es uxorem, castum hymenisq; Thoram.  
Hæc te fecundo, & numerofo pignore, partu  
Multiplici ditem reddere sola potest.  
Hæc simul efficiet nocturnis suauiter horis,  
Puteat ut quæuis blanda puella tibi.  
Blanda puella tibi, cum summa dote fideq;  
Et forma, ætatis florèq; parta sedet.  
Sed uideas, ut amor coalescat mutuus, id quod  
Pronius ut fiat pauca monendus eris.  
Nulla re retinetur amor, coit atq; iugalis  
Basta quàm dando, iura fidèmq; tuæ.  
Disilit is rursus, si tælum hastamq; trementem  
Rarior expeditas, militat omnis amans.  
Scire tuæ mores sponsæ ingeniumq; iuuenclæ,  
Des operam, ut qui sit concilianda scias.  
Fœmina tum uarium est, tum animal mutabile semper  
Ergo laborato blandior usq; sias.  
Aspera & irato si torua perambulet ore  
Ludito tu salibus, lude marite iocis.  
Irasci facilis mulier placabilis ut sit,  
Attamen indulge quomodocunq; tuæ.  
Vin' tibi perpetuam & firmam cum coniuge pacem  
Effice quo proles sit numerosa tibi.  
Sit numerosa tibi soboles, gnauusq; studeto,  
Sobrius ad Veneris sepe redibis opus.



*Fœmina uinosum planè edidit sana maritum,  
Contra, adamat gnauum sedulitate uirum.  
Rixa oritur, lis crœbra rabit, certamina seua,  
Si potus repetas limina nocte grauis.  
Plurima præterea sunt uitæ elementa iugalis  
Hæc monuisse sat est, uiue uale ac redama.*

X I I I.

**E**cce maritales tædas iterabis amator  
Coniugij irato numine functæ thoro.  
Sponse diu uiduo dulcis iactate cubili  
Hoc longum auspiciis uertere queso bonis.  
Hanc tibi quam iunxit deus arcto pectore sponsam  
Excipe formosam, stemma genusq; bonam.  
Diuitè opum, cordatam, & quæ non prodiga rerum  
Audiat, atq; ad opus gnaua alacrisq; stet.  
Moribus in uiridi castis laudata iuuenta,  
Ante hæc uel multis sponsa petita procis.  
Huius primæuam uoluit te carpere florem  
Solum, atq; hanc sociam numen habere thori.  
Quam tu morosus noli infestare, mariti  
Corrumpi uitio fœmina honesta potest.  
Disce pari cura te moribus illius, atq;  
Ingenio facili te accomodare domi.  
Quod si te offendat, commissæue si qua fuere,  
Permiscere caue cuncta prophana sacris.  
Namq; homines ditat concors opulentia, contra est

*In malè conoordi incompositoq; Thoro.  
 Aſociat firmas mentes ante omnia proles,  
 Arctius & ſoboles pectus utrumq; ligat.  
 Si tibi conſultum cupias, præſtato, maritum,  
 Illa ut te poſſit iure uocare ſuum.  
 Dicere te generum quo gens Bereſia poſſit,  
 Ne Cybeles myſten ſemiuirum eſſe putent.  
 Non tu de ſterili es prognatus ſtirpe domoq;  
 Aſſere te riſu, quod potes, atq; iocis.  
 Hæc mea tu placidus præcepta ſalubria partem  
 In dextram, accipias, ſponſe ualetio diu.*

F I N I S.

Errata.

*In præfatione. Appollinis. lege Apollinis. Ibidem cucu-  
 lus. lege cucullus. In A. facie. 5. læuam. lege lænam.  
 Ibidẽ fac 6 cantate cuculus. lege. cantatq; cuculus. Ibidẽ  
 fac. 15. Cautio. lege Cantio. In C. fac. 16. hirtis. lege  
 hortis. In D. fac. 3 Cauſaſii. lege Caucaſij. Ibidem fac.  
 5 ima læui. lege leui. Ibidem fa. 8. damnatur obæſtis, lege  
 damnantur. Ibidem fac. 11. Molto. lege, Multo. Ibidem  
 fac. 12. cuculos. le, cucullos.*

*Viſus eſt hic libellus, et admiſſus ab Harmanno Bor-  
 tuloo typographo iurato imprimi, cum ſubſcrip-  
 tione.*

G. Schrijuers.



1805669

